

AVLÆVM DV-
NAIDVM, CONTINENS
SERIEM AC SVCCES-
SIO-

NES ARCHIEPISCOPORVM

RIGENSIVM IN LI-

VONIA,

scriptum

AD REVERENDISSIMUM

ac illustrissimum Principem ac

Dominum Dominum

SIGISMVNDVM

AVGVSTVM

ARCHIEPISCOPVM RIGENSEM

designatum, Ducem Megapolensem, Principem

Vandalorum, Comitem Suerinæum,

ac Stargatorum Do-

minum, &c.

ab

AVGVSTINO EVCÆDIO

LIVONIO.

VVitebergæ 1564.

Et Ruyni 1794.




BALTHASAR a BERGMANN
NATVS DIE XIV JUN. ANNO MDCCXXXVI
JUVENIS
ANIMVM EXCOLENS
FATA LIVONIÆ
CECINIT VINARIÆ
IN
PATRIA
ÆQVI TENACISSIMVS
THEMIDEM EXERCVIT
CONSILIARII AVLICI HONORIBVS
A CATHARINA
REMVNERATVS
TANDEM
SVBLATVS EST A TERRA
AD NOVUM SINE NVBIBVS COELVM
DIE XVII FEBRVARII A. MDCCLXXXIX
ÆTATIS LIII.



REVERENDISSIMO AC ILLUSTRISSIMO PRINCIPI AC DOMINO

D. SIGISMUNDO AVGVSTO,
*Archiepiscopo Rigensi, Duci Magnopolensium, Principi Vandalorum, Comiti Suerinæo, Rostochiorum
& Stargatorum Domino: Principi & Domino
suo clementissimo*

S. D.

 NTER eas res SIGISMUNDE AVGVSTE Princeps illustrissime, quibus Respub. præclare sapienterque constitutæ, & administrantur, & defenduntur: duæ præ reliquis maiores illustrioresque, cum utilitatibus commodisque hominum tuendis, tum gloria nominis ac dignitate præstare videntur: rei militaris studium, atque optimarum artium ac disciplinarum assidua diligensque cultura, atque exercitatio. Hæ duæ sive scientiæ sive facultates ita inter se coniunctæ sunt atque connexæ, ut altera alterius ope auxilioque destituta, mancam quandam atque inchoatam, non solidam perfectamque Rempub. constituere videatur. Nam cum duo sint Reipub. tempora: aut enim in pace ocioque vivitur: aut bellum, vel ad defensionem geritur, vel ad iniuriam vlciscendam infertur: altera ocio ac quieti præesse videtur: altera concitatæ ad arma effusæque multitudini. Itaque eas Respub. cœtusque hominum iure sociatos maxime homines suscipiunt, summisque efferunt laudibus: qui tum, cum res in periculum discrimenque adducta est, propulsare viam impetumque hostium manu possunt: pace vero parta,

depositisque arnis, ijs ornamentis, quibus illa exornatur, non destituuntur: studijs doctrinae praecipueque humanitatis. Sed quoniam ita natura comparatum est, ut ea, quae aduersa dolorem hominibus perturbationemque adferunt, acrius vehementiusque animos vulnerent quam quae iucunda sunt, suaviter afficiant: ita factum est, ut maiora praemia amplioresque dignitates Rempub. gubernantibus, quorum consilio belli pericula, quae omnes homines vehementissime terrent, repelluntur: quam quietis atque ocio doctrinarum studiorumque fruentibus propositae sint, atque constitutae. Id vero non tam recta ratione ac iudicio, quam errore quodam hominum nimis ieiune tenuiterque de artium studijs disciplinisque iudicantium introductum est, atque perfectum. Vere enim si volumus iudicare, aut nihil pene, aut admodum parum reperiemus: quamobrem Imperatori forti homo doctus, qui totam rerum naturam animo complexam continet, vel cedere, vel minoribus, quam ille praemijis affici debeat. Ille enim nisi ab hoc recte laudabiliterque Rempub. administrandi rationem cognouerit: nisi multa ad gubernacula societatis humanae ex doctissimorum hominum scriptis attulerit: nisi multa ipse legerit, audierit, cognorit, multa temere, peruerse, multa crudeliter committet. Itaque neque in iudicando industriam, neque in agendo constantiam neque in perturbationibus animi cohibendis moderationem adhibere ac temperationem poterit: nisi a literis, philosophiaeque scientia instructus ad gubernandi curam laboremque accesserit. Nulla autem officij ratio siue forensibus in rebus, siue priuatis ac domesticis: nullum officij genus reperiri potest: quod non summorum virorum scriptis, monumentisque per-

pertractatum contineatur, atque extet. Atque ut alia, quæ commemorari possent, omittam: ille ipse publici consilij atque imperij custos, tametsi omnia bene sapienterque meditata, atque prouisa suscipiat: omnia aito animo, humanasque res contemnente perficiat: omnia ad eorum, quibus imperat, commodum utilitatemque referat, oblitus compendij sui: tamen nisi eum nactus fuerit, qui tantam prudentiam, tam fortem tanque admirabilem constantiam, tantam in omni genere virtutis excellentiam, atque splendorem literis consignet: aut vixisse unquam ignorabitur: aut tantarum tanque illustrium virtutum homines inuadet obliuio. Itaque cum Græcorum solertiam in bellis atque industriam, tum Romanorum magnitudinem animi ac constantiam omnes quidem vehementer admirantur, non solum propter ipsum decus virtutis, verum etiam atque adeo magis propter eorum, qui eas res posteritatis memoriæ consecrarunt, scriptionis ornatum, dicendique elegantiam. Num enim alijs prouincijs ac nationibus, aut sui Themistocles, aut Camilli, aut Scipiones defuisse viderentur, si omnium res atque facta tanto dicendi ornatu, quanto illorum illuminata sunt atque illustrata, transmissa ad posteritatem fuissent? Atqui multorum summorum hominum in his ad Septentrionem populis non modo virtutes non celebratæ, sed etiam ne quidem memoratæ videntur, a que tactæ. Id vero cum de multis alijs vere dici potest: tum præcipue de T. Cels. SIGISMUNDE AVGVSTE, Livonia. Etsi enim ea prouincia virtutis Germanicæ trophæum, omnis honestatis ac disciplinæ domicilium ad nostram pene memoriam, horumque temporum, quibus omnia ruinam minantur, confusionem fuerit: multos rei militaris scientia orna-

tissimos Duces habuerit: multos clarissimis victorijs
imperatores triumphantes omni contempserit: nonnullos
etiam præclara iuris scientia, atque dicendi facultate
præditos audierit: tamen tantorum virorum memoriam
quasi per transennam intuemur, res ipsas atque virtutes
conspicere non possumus. At qui maiorum nostrorum
bellicæ virtutis florentissimam gloriam tot nationes,
tot populi, tot gentes immanitate barbaræ a feritate
ad humanitatem, a duritie ad civilitatem, a superstiti-
one ad religionem verumque DEI cultum perductæ sa-
tis superque testantur. Eas enim partim omnino suo
imperio atque potestati subiecerunt, ut Estiones, ut Li-
uonios, ut Curetes, ut Semigallos, ut Osilios: partim
in regnum ipsorum atque ditiones incurrentes, ut Litua-
nos, ut Moscos, ut Tartaros, summa virtute, summo
consilio, felicitate quidem miranda atque stupenda per
annos plus quam trecentos præclare fortiterque represserunt.
Ac fuit tanta superioribus temporibus Liuoniorum
virtus, tanta gloria, tam illustre nomen, ut pene in
proverbijs consuetudinem venerit. Minuebamus paulatim
hanc nominis celebritatem atque virtutem: post
Gualtheri Pletebergij vero victorias penitus amisimus.
Dum enim haberi viri fortes viderique malumus, quam
esse, pro sapienti consilio stulta temeritas: pro virtute
ac bellica gloria luxus atque libido: pro omni honestatis
ac laudis studio, omnis generis vicia in hanc Rem-
pub. irrepserunt. Atque hoc eo tempore accidit, quo is
præfesset Magister, qui gloria ac laude omnes facile su-
periores vicerat. Quamobrem ut maioribus nostris lau-
datissimum fuit, tantam nobis imperij amplitudinem
pulchritudinemque reliquisse: ita posteris turpissimum
est, eam, quam a maioribus accepimus, conservare non

potuisse ac tueri. Sed ut hoc dolendum est, sic illud deplorandum: tot bella, tot victorias, tot triumphos, non solum ornate conscriptos, verum etiam mediocriter annotatos non esse, ac posteris relictos. Quod quidem si factum fuisset, & plurimi amplissimi que principes Reipub. Livonicæ suo honore ac gloria fruerentur, quorum nomina nunc vix ægreque tuemur: & nostri homines conspecta maiorum suorum parentumque virtute, constantia, fide, religione, imitandi studium atque diligentiam adhiberent. Cum enim omnis virtus mentes præclaras ad se allicit: tum exempla domestica, vehementissime animos hominum ingenuos accendunt, atque ad rem gerendam idoneos reddunt. Nunc vero ut memoria rerum antiquarum Livoniæ: sic multorum Illustrissimæque Principum Germanicæ virtus, beneficia que in eam Rempub. collata interierunt. Neque enim obscuræ amoris benevolentiaque significationes eorum fuerunt: neque tales, quæ, si extarent monumentis consignatæ literarum, summam non essent laudem, gloriamque posteris ipsorum allaturæ sempiternam. Nam, quoniam ijs temporibus, quibus LIVONIA ad religionem nostram, communionemque societatis Germanicæ adduci coepit, Hierosolymæ Imperio Christiano erepta a Saladino erant Honorij Pont. Max. cum auctoritate ac amplitudine, tum spe eluendarum animorum macularum, & ad conscientia angorem ac sollicitudinem tollendam: quæ per indulgentias (quas vocant) proposita erant præmia in Livoniam abeuntibus: tanquam ex equo Troiano Græci, sic ex Germania summi Principes fortissimi que Heroes non solum pericula maris, verum etiam discrimen vitæ fortunarumque suarum, pro

naestate populi Christiani, imperiique Romani dignitate augenda, subierunt. Neque ulla fuit totius Saxoniae paulo amplior aut dignior familia, quae se ad societatem illius praecelari belli, gloriaeque communicationem vocari non existimaret. Prae reliquis autem, quorum nomina cum vetustate, tum negligentia illorum temporum interciderunt, hi sub ALBERTO tertio Livoniae Episcopo Rigam venisse memorantur: Albertus Dux Saxoniae, Venceslaus ac Barnimus Rugiae principes: Adolphus, Iohannes, Gerhardus Comites Holsatiae: Godscalcus Harlemundensis: Marquardus Stadenensis: Borchardus Oldenburgensis: Gualtherus Amersleuensis: Theodorus Verdensis, Comites. Neque Marchionis Brandenburgensis obscura fuit dignitas: neque aut Comitis Danienbergensis, aut Bernhardi Lippensis incognita integritas: quorum prior in expeditione Lituanica in acie fortiter pugnans occubuit: posterior ad ostium Dunae Abbas primum, deinde Episcopus Lealensis in Esthonia constitutus est. Horum, SIGISMUDE AVGVSTE, tot tantorumque Principum res gestae, factaque splendida si historiis nostrorum hominum pro dignitate tradita continerentur, quam multi praestanti fama, celebritateque essent? quam multi Livoniorum dignitatem salutemque suam esse debere nunc intelligerent? quam multi hoc tempore Principes Germanici commoverentur, si tantae curae fuisse Livoniae provinciam, tanto labore partam maioribus suis cognovissent. Nec solum hi, verumetiam Episcopi quidam administratoresque divinarum curationum, ut Philippus Raceburgensis, Henricus Padelbornensis, Iohannes Verdensis, Andreas Archiepiscopus Lundensis, Gulielmus Mutinen-

At in Cardinalium Collegium cooptatus, legatusque Pontificius, sua opera, studioque expeditionibus illis cotinuis, laboribusque non defuerunt. Sed nullorum Principum tantus amor fuit in Liuoniam, tantum studium, tanta animi affectio, quanta DOMINORUM MEGAPOLENSIUM perspecta fuit, atque laudata. Iohannes quidem is, qui propter rerum diuinarum scientiam Theologus usurpatur, atque eius pius filius Henricus expeditione Liuonica, perpetuam sibi famam, nominisue gloriam compararunt. Nec minorem virtutis opinionem suæ concitarunt Guncelinus ac Gerhardus Comites Suerinæi: quorum alter reliquias quasdam, quæ in illa opinionum peruersitate in summis rebus ac pene diuinis habebantur, in templum Rigense intulit: alter Liuoniæ Magistratum, absente in Germania Alberto Episcopo, qui solus rerum totius nationis subiectæ sibi ab Henrico Cæsare (qui eum & Principum Imperij dignitate ornauit) potiebatur, summa diligentia, summa integritate, summa omnium erga se beneuolentia, fauoreque administrauit. Quamobrem posterioribus temporibus et Iohannes Comes Suerinæus, & Albertus Dux Stargatiæ, maiorum suorum laboris ac industriæ fructus uberrimos cepunt, cum alter Archiepiscopus Rigensis, alter Episcopus Tarbatensis salutaretur.

Vides SIGISMUNDE AVGUSTE Archiepiscope clementissime, maiorum tuorum in Liuoniam beneficia: quæ si mandata literis ac conscripta essent, quis vestræ familiaritatis magnitudinem animi quis rei militaris peritiam non miraretur? quis te a DEO Opt. Max. in illam provinciam mitti hoc tempore non confiteretur, ut, quam maiores tui Rempub. constituerunt, hanc tu difficillimis temporibus

us a flagitijs cædibus, iniurijs, divinarum atq; humane-
um rerum prædonis Mosci laceratam, vexatam, deper-
litam pene ac collapsam restituas atq; liberares. Itaq; cum
plurima quæ tuam diligentiam desiderant, literarum
studia Musarumq; sedes vicissim tibi restituendæ erunt
hic ornandæ: ne, quod maioribus tuis sanctissimis ac
vivis Principibus contigit, cum multa constitueris:
multa emendaveris: omnia pacata tranquillaque red-
dideris: aut obscura tua relinquatur fama: aut de meri-
torum beneficiorumque tuorum, multitudine, præstan-
tiaque posterior ætas conticescat. Ne vero plane me-
moriam superiorum ætatum in Livonia interiret: eum
Magistratum mihi latinis literis illustrandum esse puta-
ri, qui summus ethi semper re ipsa esse non potuit: tamen
habitus semper fuit, atque haberi debuit. Archiepiscopa-
tum: tum quod neque satis nota esset præteritarum
rerum nostris hominibus memoria: tum, ut, quibus
suspicijs ille limes Christiani orbis constitutus sit: per
quos viros gubernatoresque Respub. gesta: quæ vicis-
situdines mutationesque in eam inciderint, cognosce-
tur. Accedit T. Cels. aui materni ALBERTI Borussia-
rum Principis, optimi atque sanctissimi senis singularis
erga me munificencia ac liberalitas: cui me non respo-
dere officij significatione turpissimum esse iudico. Nec
dissimulanda est nostrorum civium in hac honoris
accessione, dignitatisque amplificatione T. Cels. gra-
tulatio: quam omnium voces studiaque contestatam
comprobatamq; esse volunt. In his autem, quos T. Cels.
offero, Archiepiscopis, quosdam, ut Engelbertum,
Iohannem. Sifridum, Nicolaum Lubecensem Antissi-
tem, Guntherum Comitem Schwartzburgensem, Ot-
tonem Ducem Pomerania, (quem Venceslaus Caesar

Rigensem Archiepiscopum constituere quidem conatus est, sed renitente Bonifacio nono Papa ac refragante non potui)mittendos esse putavi: vel quod quidam eorum nunquam in Liouoniam uenerint: vel quod plerique in annalibus certioribus annotati non extant: vel quod quorundam, aut breuis admodum, aut obscura fuit administratio. Habes itaque SIGISMUNDE AUGUSTE Archiepiscopo clementiss. T. Cels. antecessorum enumerationem non illam quidem ornatam atque elegantem, breuem tamen atque perspicuam, neque ab ullo unquam antea latinis literis consignatam. Itaque ut hanc erga T. Cels. cum subiectionis meae, reuerentiaeque significationem, tum erga auum maternum T. Cels. gratitudinis testificationem, beniuolentia fauoreque suo complectatur, etiam atque etiam rogo. Quod autem nuper Marchione GULIELMO Archiepiscopo doctissimo atque prudentissimo rebus humanis exempto, a Deo OPT. MAX. precati sumus: ut talem, qualis is fuit, Principem Antistitemque nobis largiretur: qui populo Liouonico honori ac praesidio: hosti uero crudelissimo terrore ac supplicio esset: qui & Ecclesiae & Reipub. tum animi inductione uellet, tum facultate posset, disciplinam ueterem dissipatam nunc atque languidam restituere: qui religione, pacis studio, humanitate, munificentia, defuncti Archiepiscopi effigiem nobis imaginemque representaret: id nunc ardentibus uotis denuo uerisque gemitibus oramus atque precamur, ut T. Cels. quae neque dignitate amplioem, neque honestissimis studiis aptioem, neque omnium uirtutum ac laudis gloria illustriorem Magistratum optare potuissemus: benigne clementerque saluam incolumemque conseruare uelit ac tueri.

VVitebergæ 4. Id. Octob. quo die ante

annos 372. rebus humanis exemptus est MEINARDUS
primus Liuoniæ Doctor, atque Antistes: qui eum Epi-
scopatum fundauit ac constituit: quem septimum con-
numerari Archiepiscopatibus Germaniæ, cum Gaspar
Bruschius, tum his versibus Conradus Celtes primus
Germaniæ Poeta indicat:

Vel pete Sauromatas, vbi Reuola, Rigaque surgit,
Ultima de septem sedibus illa micans.

T, Celsitud.

deditissimus

*Augustinus Eucadius
Liuonius.*

A U L Æ U M DVNAIDVM.

I AM nova Pierides mihi dicite gaudia Musæ
Sarmaticæ gentis, quam flumine Rubo perenni
Alluit: & tantæ causas evoluite mecum
Læticiæ insignes. Tuque o clarissime Princeps
AVGVSTE, huic nostro præsens succurre labori,
Dum tibi res lætas, & mollia fata precamur,
Imperijque novi celebres gratamur honores.
Adsis: afflictas fugiens nec despice Musas.

Forte sub umbrifero saxosi gurgitis antro
Livonidum Rubo fluvius regnator aquarum
Damna recensabat luctu, cladesque suorum
Illachrymans, imoque trahens suspiria corde.
Illum Dunaides circum, fontanaque stabant
Numina, quæ vitreis degunt sub sedibus ævum:
Quæque annes late liquidos: quæque aspera faxis
Antra colunt: quæque Oceani confinia seruant.
Conticuere omnes, intentæque ora tenebant.
Nam referebat ut Scythicis Rex Moscicus oris
Adueniens, feritate ipsis immanior vrsis
Omnia vastarit flammis, ac cæde repletit.
Progeniem quoniam Germano a sanguine duci
Audierat, Geticas olim quæ verteret vrbes:
Id metuens, veterisque memor Moscouia belli,
Quod quondam Pleteberge tuo cum milite gessit.
Ne quid inaccessum: ne qua intentata maneret
Pars rerum, hoc tandem turbatam tempore mentem
Exeruit, nostrumque furens bibit ore cruorem.
Stant causæ irarum antiquæ, stant semina belli,

Iamque quadringentos atavis cumulata per annos
Nunc vero (ah si quid solitæ virtutis adesset)
Postquam res nostras, & lamentabile regnum
Perdere sic visum Superis, ceciditque superba,
Regibus ac quondam vix ipsis tuta potestas:
Nunc cum deserti fumus: & simul agmine verso
Funditus occidimus, nec habet fortuna regressum:
Ferrum acuunt nostro gaudentes sanguine Mosci:
Nec dum fata malis nostris saturata quiescunt.
Quid referam ut bello magnas disiecerit vrbes
Naruamque Tarbamque & celsi tecta Velini:
Quasque vident alias destructis mœnibus arces
Harria, & undisono vicina Vironia ponto.
Nostis enim divæ, & nimium meminisse necesse est.

Immemorem nec te tantæ reor Embece damni
O nate, & testis tantorum mœste malorum.
Scis mentem Mosci indomitam: scis pectora cruda,
Et Turco feritate parem, factisque sequentem
Regnatorem Asiæ terra pelagoque potentem
Ambo gaudentes certamine, cædibus ambo,
Ceu genus amborum se sanguine scindit ab uno.

Talio perstabat memorans, lachrymisque rigabat
Ora, genasque ambas madidamque vligine barbam,
Sicut Achillæa conspersus clade Scamander
Corpora cum fluvio, Troiæ sub mœnibus altis,
Dardanidum cæsa aspiceret, civesque peremptos:
Multa Deos voto lugens orabat inani.

Ecce volat cæli vastum per inane nitentis.
Fama micans pennis, & multicoloribus ælis,
Fama bonum, quo non aliud iucundius vllum
Tam veri rectique tenax, quam nuntia falsi.
Et subito resonas cursum detorquet ad undas

Gaudens, ac tali Rubonem voce serenans.

Rubo, quod optanti nuper promittere nemo
Audebat, celebranda dies nunc attulit ultro.
Nam Regum antiqua prognatum stirpe Ducumque,
Insignem studijs, insignem pectore & ore
Fata SIGISMVNDVM AVGVSTVM, quo Balthica gaudent
Littora, deposcunt Vatem, dominumque tuorum.
Idem erit & populi rector, Christique sacerdos.

Dixit, & in cœlum paribus sese abstulit alis,
Et subito tenui ex oculis se miscuit auræ.
Obstupuit tanto percussus nomine Rubo.
Lætitia exultans subita, vix seque coercens
Applaudit manibus, saltuque sedilia lætus
Frondea transfiliens verbis ita fatur amicis.

Nam quis te iuvenum fortunatissime Princeps
Qvisve SIGISMVNDE AVGVSTE his Deus adferet oris?
Agnosco nomenque potens fatisque stupendum:
Anthyrj antiqva ductamque ab origine gentem.
Salve care Deo Princeps, salve inclyte Præsul.
Iam redit & virtus, redeunt nunc aurea rursus
Secula: tu Mosci exuvijs indutus ovabis:
Incendesque iterum scutorum victor acervos,
Cum robusta virum veniens te fecerit ætas,
Nunc tibi tempus erit, cum sero optaveris emptum
Intactam gentem nostram, populosque subactos:
Nunc versis tandem lugebis Moscia fatis.
Sanguine iam Scythicas cerno sudare paludes,
Cumque suo Tanaim, fugiente Borysthenē longe
Ire caput demissum, & vasta sede latentem.
Heu miseris quantæ cædes nunc hostibus instant.
Tu modo posce Deum veniam sanctissime Præsul:
Et blandis supera votis iramque minasque.

I
Namque dabit veniam votis, irasque remittent.

I Tu tu AVGVSTVS eris: tua laus, tua splendida virtus

I Hostibus excidio veniet: te barbara pubes:

I Te Geticus tremet hostis, & irrevocabilis altos

I In montes fugiet, nec Dijs nec viribus æquis.

I Tu dabis ingentes clades: tu funera bello

I Plurima, te extremis metuent Aquilonis in oris.

I Tu modo qua virtus tua te vocat, ire memento,

I Nunc Nymphæ, quoniam in sedem conuenimus vnam.

I Munus adornandum, ducendæque ordine telæ,

I In quibus antiquos proceres, quos Infula cingit,

I Qui Rigam tenere armis, opibusque potentem.

I Texetis: dabitisque hæc conspicienda figuris

I Facta, vetustorum casus referentia Patrum.

I Ut quibus Imperio satis succedit amicis,

I Horum res animo teneat, voluatque laborem

I Antiquum, miseros semper qui plurimus illos

I Afflixit: varijs veniensque exercuit ausis.

I Maiores ut conspiciat sibi sanguine iunctos

I Heroas, sancto qui relligionis amore

I Has olim inducti peragrarunt fortiter oras

I Sternentes bello gentes, Christoque dicantes.

I Nec mora: Naiadum lectissima turba fororum

I Depanie, ac splendens, oculisque nitentibus Erle,

I Erle Nympharum pulcherrima: quæque vocata

I Curetum extremo remearat littore nuper

I Liua, electrifero crines perfusa liqvore.

I Succinctæ niveas vestes, nudæque lacertos

I Expediunt calathis, & fila tenacia iungunt

I Staminibus, tenuique pererrant pectine telas:

I Vittatosque patres pingunt ab origine prima

I Indutos pallam gemmis auroque rigentem

Tunc suberant, ac ensiferi componere foedus,
Atque magister tunc regionis praefuit aruis.
Sed Gotthard Kettler, Russorum dum timet arma,
Queis impar fuerat, tradebat sceptrum Polonis,
Atque illi in propriam sedem Curlandia cessit.
Tunc annos centum Russi, Sueci atque Poloni
De Liunorum terra certamina dira
Gesserunt. Omnes agitabat saeva cupido.
Est modus in bello, sunt certi denique fines.
Pax fit. Dyna fluens ambas tunc terminat oras.
Quidquid trans Dynam est, id Suecus possidet omne;
Quidquid cis Dynam est, gaudet tenuisse Polonus.
Sic quinquaginta tenuit nos Suecia felix
Annos. At postquam Carolum dare terga coegit
Russus Pultaviam prope, Petrus, strenuus heros,
Ingenioque celer, veniens mox protinus igni
Vastat agros, ferroque premit, spoliaturque colonos,
Munitamque urbem Rigam obsidione cruenta
Cingit, ne miseris abitus spes ulla supersit,
Undique bombardis nunc obtundentibus aures.
Quae nimio reges ausu deponere gestis,
Gens Sueonum fortis, casum minitaris acerbum.
Debueras meminisse: Deum decernere regna,

Diuinum, formare thronos, solioque mouere.
Sed breuiter : Sueones fortes fortuna relinquit,
Et campum patriae nemorosi montis ad imam
Radicem, ac alto oppidulum spectabile muro
Expugnant Russi, et excelsi verticis arcem,
Non modo natura, sed ab hostibus aggere tutam,
Iam facile cepere manu citraque laborem.
Per pacem tandem cessit Liuonia Russis;
Quo facto, Petrus nos sub ditione tenebat.
Sed Deus altitonans, qui maximus, optimus, illud
Contulit in melius, quod tristia fata parabant;
Quandoquidem fines, confecta pace; paternos
Russorum imperii tutamen moribus ornat
Rectis, atque suum tribuit ius sponte cuique.
ELISABETHA, Petri magni diuique Propago,
Imperii vasti, TV, quæ iam scepra capessis,
Imperio vasto cuius sapientia regnat,
Imperium vastum cuius nunc arma tuentur,
Post Numen TIBI iam debemus munera pacis
Dulcis, Liunos præstat TVA gratia tutos.
Hinc, quantum possum, supremum Numen adoro,
Nestoreos saluam TE semper seruet in annos.



Et lino albenti iniectam: capitisque bicorni
Tegmine, Aaronis sacram referente thiam
Conspicuos: fert dextra pedum complexa superbum.
E prisco prave desumptus tempore cultus.

I Episcopus Livoniæ Meinardus monachus Segebergensis.

Primus qui extremas Boreæ penetrauit ad oras
MEINARDVS similis monacho, similisque docenti est,
Has olim terras, atque hæc immania late
Iugera, gens truncis & duro robore nata
Seruabat, magnaque regens dititione tenebat:
Cui neque lex, neque cultus erat, nec iungere sedes,
Aut componere opes norant, sed viuere rapto.
Pars inter sylvas, inter deserta ferarum
Venatu victum quærit: pars accola ponti
Retibus innectit pisces, & arundine longa
Intentos prædæ capit, & fuligine ficit.
Ast alij, quorum rebus mens apta gerendis
Estiones duri, peperit quos Scandia mater,
Scandia multorum genetrix fœcunda nepotum:
Bellum exercebant pelago, lætique ruebant
Convulsum remis, rostrisque tridentibus æquor.
Haud impune illis quisquam sese obtulit amens,
Siue errore viæ, seu tempestatibus actus.
Sic igitur scissam studia in contraria gentem
Vana superstitione, verique ignara Tonantis
Infecit, mentemque atra caligine presit.
Dij quales habitus Divûm, Dij qualia monstra
Intexunt operi Nymphæ, statuuntque videnda.
Vurschaites Diuûm interpres, cœlique sacerdos
In luco sylvis & relligione parentum
Horrendo, sacras caprum maclabat ad aras,

Pergrubio, cœli tempestatumque potenti.

Illum omnes circa matres, omnisque iuuentus
Astabat mœsta, ac pectus percussa dolore.

Tum miseri ad cantus incensa altaria circum
Arbuteis adsunt velati tempora ramis:

Atque suo peragunt Diuo præconia laudum:

Salve vere Poli rector, qui legibus orbem

Subjicis ipse tuis, & læto numine firmas:

Tu frondes syluis, segetes tu sufficis aruis:

Fluminibus pisces infers, præsepibus agnos.

Pergrubio Antrympum iungunt, qui cæca fluentas:

Qui fluuios amnesque regat: qui marmora ponti

Affingunt urnam læuæ, dextræque Tridentem:

Tertius ima tenens, & subterranea Ditis

Regna, videt torvum, manes & territat ipsos.

Castigatque auditque dolos, subigitque fateri

Pocculus. His adsunt alij sine nomine plures

Marcopolus, Pargnusq; & nudus membra Protrympus:

Hos olim divos, hæc numina vana colebant

Liunidæ: donec summi indulgentia cœli

Res miserata hominum fluxas, durosque labores,

Mitteret Holfaticis degentem in montibus illuc

Meinardum, rasæ linquentemque antra cohortis.

Hic genus indocile, ac dispersum montibus altis

Vi Superûm affatus, studia ad meliora vocavit:

Ostenditque viam cœlo: moremque sacrorum.

Imposuit, legesque dedit rectique bonique.

Cernitur huic COBBO iunctus, ditissimus agri

Liunum, & fama multis memoratus in oris,

Submittentem animos Christo, mentemque ferocem.

Hunc Nymphæ faciunt, & sacri aspergine fontis

Mundari scelere, & contracta ab origine culpa.

Parte alia Antistes, qua scabra crepidine late
Saxa sonant Dunæ ripis, cum cœpta benignus
Rite secundaret Christus, cladesque leuaret,
Quas Vati innocuo gens aspera sæpe ferebat:
Templum humiles inter dumos, syluasq; comantes
Educit paruum, & nullo splendore coruscum,
Vxeliæque vocat sedem tibi sacra dicatam
Virgo Dei genitrix. Non hic sua nomina cœlat
Dala, relucentes a Præfule ducta sub auras.
Hæ primæ sedes, Germanorumque triumphii.

II. Episc. Liv Bartholdy Abbas Lucan9 Ord. Cisterciensium.

Alter vbi ille dati metas peruenit ad ævi
Pingitur aulæo præful BARTOLDVS, & Abbas
Elysijs præclarus agris, vbi Lucca nitentes
Attollit muroium apices, camposque serenat.
Hunc mœstum statuunt, & tristi morte peremptum,
Nam dum turigeræ sapienti pectore RIGAE
Fundamenta locat, pulchramque industrius urbem
Extruit: incendit gentes ad bella feroces,
Estiones, Litauosque & quos habet Harria fortes.
Omnibus idem animus Germanam excindere gentem,
Sacra, Deosque suos, libertatemque tueri.
Ergo animis læti mag nis, maioribus ausis
Inceptas turbant operas, primordiaque urbis
Impediunt: quam nunc Germana potentia cœlo
Æquavit, piscaiores tunc illa fouebat.
Nec minus Antistes sese Mauortius offert
Instructus turmis equitum, peditumque cateruis.
Fit via vi magna, pugnatur limine in ipso
Liuoniæ: rorant conspersi sanguine vepres.
At facilem nostris pugnam Fortuna recusat:
Tam stultis pravisque fauens, quam prospera sanctis

Indomito dum Præsul equo per maxima fertur
Agmina militibusque suis cor nobile firmat,
Sive errore malo, seu læuo numine Diuûm,
Incertum: sensit medios illapsus in hostes.
Illum omnes telis petere, illum ad fata vocare.
Donec consumpto tandem, fractoque labore
Stridula sæua volans, neruisque emissa sagitta
Advolat: atque viri sancti caua tempora transit.
Illum expirantem subito, & te Christe vocantem
Corripiunt: campo spoliatum ac triste cadauer
Rellinquant: tumuloque finunt succedere terræ.
Nec procul hinc Cobbo præstans eadem horrida lethi
Perpeffus fata, a fidis portatur amicis
Vxeliæ: hîc terræ mandatur nobile corpus
Præclari Ducis extincti, quem mœsta querelis
Duna vocat, tumultum fertisque halantibus ornat.

III. Episcopus Livoniæ Albertus Canonicus Bremensis.

Tertius his longa ALBERTVS cum veste sacerdos
Iungitur. Hic prudens opera interrupta, minasque
Murorum ingentes, ac propugnacula bello
Tuta parat, nec non media struit impiger vrbe
Templum augustum, ingens quo conditus ipse quiescit.
Nec procul hinc gelidæ qua surgunt ostia Dunæ
Alta & Balthiaco iunguntur littora ponto:
Moliri sacras ædes, ac templa videtur
Celsa cuculligeris monachorum fratribus illis.
Secta quibus vulgare dedit Cistercia nomen.
Olim sacra domus, nunc arx ibi splendida floret.
Mos erat huic Vati quoties Orionis astrum
Surgebat fluctus pelago & se plurimus alto
Volvebat, toties Germanas ibat ad vrbes,

Atque hyemem, quam longa, illis degebat in oris.
Interea pubem bello aptam, ac fortia Martis
Pectora, militiæ signum cogebat in vnum.
Atque vbi iam celsis hybernus montibus humor
Liquitur: atque suus surgit decor omnibus agris
Pulsa hyeme, hos bellum ductor mittebat ad amplum.
Namque feræ gentes, ac nil cœlestibus vllis
Cedentes, nostra cum religione gerebant
Perpetuum bellum Diuûm pro laude suorum.
Heu veri ignaræ mentes, heu pectora cœca.
Ergo vnà Heroas natos melioribus annis,
Qui ob nomen Christi pugnando vulnera passi,
Quique Deum coluêre pij, dum vita manebat,

Wenceslaus Princeps Rugiæ.

Nympharum textura refert. Vuenzlaus in armis
Stat forti cataphractus equo, cui Rugia paret
Insula, quæ nomen tribuit tibi RIGA superbum.
Ille vrbis muros erexit: deinde furentes
Continuit populos bello congressus aperto,
Et ne forte vllò tantarum obliuia rerum
Tempore mortales caperent, ferosque nepotes
Perfecit, Rigamque sua de gente vocauit.

Iohannes Theologus Dominus Megapoleus.

Hic quoque IOHANNES pietate insignis & armis
Cernitur, egregium studijs quem Sequana vidit:
Iohannes Diuûm genus, & tuus Inclyte Princeps
Progenitor, vestræque domus stella aurea celsæ
IOHANNES ALBERTE, o laus & fama tuorum,
O decus, o columen: te, si quid nostra canendo
Musa olim poterit, cum nato & Prussidos oræ
Principe magnanimo socero, dominoque potente,

dicet: nec vestros facite memorabit honores.
Sint licet haud nostræ vocis, nec laudis egentes.
Nec moror inuidiam, nec sit mihi gratior villa,
Quam sibi quæ vestrum præscripsit pagina nomen.
Interea hæc antiqua sequar fastigia rerum.
Stat Ioanni comes alto pectore natus

Henricus filius Iohannis Theologi, Dn. Megapoleus.

ENRICVS, Dux fama ingens, ingentior armis,
Ostea qui rediens, dum sacram tendit ad urbem,
Et Solymam inuisit pietate incensus auita,
Ieu multum ignotis terris iactatus & alto
Multorum mores hominum conspexit, & vrbes,
Sis captus, bis barbaricis data præda piratis.
Multa quoque & bello passus, dum fulminat armis
Iuonum campis, atque hostes sternit ouantes:
Agmen agens equitum, & florentes Marte cohortes.
Non illum vulgi rumor, non fama retentum,
Fæcres esse viros, cum forti prælia gente,
Detinuit pugna, atque Ducem remorata volentem est.
At quacunq; infert gressum, quacunq; ruit vi,
Limitem agens ferro, & pulchris conspectus in armis,
Cestionum proceres, Lituatorumq; phalanges
Diffugiunt, pugnamque exosi bella relinquunt,
Non iam hostem poscunt, non iam decernere ferro,
Fid votis precibusque iubent componere pacem.

Albertus Dux Saxonie.

Nec longe ALBERTVS Princeps Saxonidos oræ,
Ficutigeros Vendæ gelidis in vallibus hostes
Fundebat, sylvasque fugabat lætus in altis.
Ille pij monitis, & sacro Præfulis ore
Enflammatum ad hos nuper pervenerat agros.

Vicit iter durum pietas, & conscia virtus,
Et belli præclarus amor. Stant ordine longo
Multi alij Heroes, quos telis æmula pulchris
Nympharum manus intexit, pingitque decoros.
Emicat hos inter longo qui vertice supra est,
Cardinei, columen Romæ, laus ampla Senatus

Gulielmus Episcopus Mutinæ, Cardinalis tit. S. Sabi-
næ legatus Gregorij IX. in Liuonia.

GVILELMVS Mutinæ Antistes, diuæque Sabinæ.
Ipse manu telum tenet, & Mauortia tentat
Prælia, spumiferis donec quæ Ofilia cincta
Fluctibus, Oceano in magno, contraria nostris
Hactenus & fuerat studijs, & robore belli:
Agnoscit sacramque fidem, fontemque salutis,
His ille informatorem, dominumque sacrorum
Henricum imponit, tonso qui vertice pictus
Constituit leges populis, & iura superbis.
Hic quoque cernere erat precioso intexier ostro
Bellatorum agmen, lectosque ex ordine fratres
Enifero, niueis incedunt vestibibus omnes
Et cruce signatis rubea, stellaque corusca.
Illis ALBERTVS Præsul pro fortibus ausis,
Pro famæ decore, & pulchræ virtutis amore
Attribuit partem regni, sociosque vocari
Imperat, & gentes placidus concedit habendas.
O fortunatæ gentes Liuonide terra,
O Præsul, quæ vos misere fortuna quietos
Sollicitat, suadetque angues sub tecta, luposque
Accipere infandos, hi vestræ exordia cladis,
Hi caput: infortunatarum hi semina rerum.
Nec procul HENRICVS Cæsar solio aureus alto

Confidet, Imperij procerum stipante caterua:
Albertumque ornat: summis & honoribus auget
Principis, vt quoties magnis de rebus habetur
Concilium sacri imperij, Regumque potentum:
Huic toties eadem liceat suffragia ferre:
Et partem regno in tanto, sanctoque Senatu
Accipere & curæ & laudis. Rex optimus addit
Illustres titulos, tantæque insignia fortis.

IIII Episcopus Liunionæ Nicolaus Canonicus Rigenfis,

Textitur hinc, postquam Albertus successit Olympo,
NICOLEOS. Alium Antistes quo clara Visurgi
Brema suo gaudet sacris præfecerat aris
Albertum, nulli veterum virtute secundum:
Seu laudes spectes, seu doctæ pignora mentis.
Ast Rigæ proceres, quibus est electio curæ
Præfulis, hunc cupiunt, hunc vno nomine poscunt.
Nec non Aufonia Romanus Præful in vrbe,
Qui triplici caput effulget sublime corona
Annuit, & Bremæ cœptis contraria firmat.
Illo nudipedes monachi sub Præsule, Rigæ
Delegêre locum & posuêre in mœnibus ædes
Regifico ornatus luxu, temploque superbas.
Tunc & Curetes, genus intractabile bello,
Regia qui quondam coluerunt sceptrâ, Duceinque
Vicinas seruantem oras, gentesque domantem:
Accepêre iugum & nostræ documenta salutis,
Relligioque nouas noua passim exuscitat aras.
Hi Rigam nuper longa obsidione prementes,
Aufi omnes immane nefas, subuertere muros
Tentarant, ciuesque sibi crudelibus ausis
Subjicere, & patrias Germanum pellere ad vrbes,

At Deus, & miseris rursus fortuna reuifens
Adfuit, in folido & gemebundos læta locauit,
Nam Stadij comes egregius, nil tale timentes
Tollentesque animos, & læta luce fruentes:
Arripit infidas acies, Marquardus, & vrget
Agmina præcipitans subito turbata tumultu.
Illi omnes fugere, & lachrymis exposcere pacem,
Non bellum fremere, & gentes turbare quietas:
Discere iustitiam at cupiunt, nec temnere Christum.

V. Albertus Episcopus Liunionæ & primus Archiepiscopus
Rigenfis, Administrator Lubecensis.

Hinc pius ALBERTVS reliquis illustrior idem
Arte laborato velamine pingitur Heros.
Ille pedum duplici cruce dextra continet: ille
Summus Pontifex inter, sacrosque Dynastas,
Qui reliquos regere, & furibundos sistere possit,
Quos Liunia latipatientibus inclyta terris,
Quosque Lycaonio sub fydere Prussia seruat,
Fit primus: tanto ante alios insignis honore
Cardinei cœtus iussu, Aufonijque parentis,
Insula tergemina cui cingit tempora vitta.
Dux Mondauus erat, quo non crudelior alter,
Nec feritate fuit, nec bello maior & armis,
Quem Litauis, quem Samogetæ coluere feroces,
Et dominum agnouere suum. Dux ille potentum
Vna Liunum bellum cum gente gerebat
Assiduum, & late vastabat milite campos.
At pius Albertus gaudentem cæde tyrannum
Aggressus Diuûm auxilijs, & numine lætus
(Intromissus vbi, & coram data copia fandi)
Supplicibus superat dictis, ne fumeret arma

Ulterius, cœlum & vindictæ ad cœpta vocaret:
Si genus humanum, & mortalia temneret arina:
Esse Deum memorem, cui sint mortalia curæ:
Hunc coleret, veraque animi pietate rogaret
Tantum veniam scelerum, fraudisque nefandæ,
Adfuit his dictis vis omnipotentis Olympi,
Atque acreis duro stimulos sub pectore fixit.
Sævus homo, Dux immanis, mirabile dictu,
Agnoscit verumque Deum, sanctumque lavacrum
Expetit: heu quantum subito mutatus ab illo,
Qui nuper bello spirans immania, summum
Commouet ore Deum, & scelerata voce lacescit.
Aulæo hunc Nymphæ adjiciunt, placidumque piumque
Effingunt. Iuxta assistens lustralibus undis
Immergit Præsul caput, & caua tempora tingit:
Confessu procerum in magno, celsique Magistri,
Quem Mariana cohors ductorem observat, & armis
Prosequitur duri in discrimina Martis euntem.
Hic quoque Culma tuus sacrorum præses in amplo
Cernitur Henricus templo: alto & vertice supra est,
At nihil interea, nihil est augustius ipso
Alberto, monumenta bonus qui condidit olim
Plurima, nostra quibus fraudata est omnibus ætas:
Bellorum strepitu ærifono, Musisque fugatis.

II Archiepiscopus Rigensis Iohannes a Lunen

Excipit hunc primus texture in parte IOANNES
Nulli doctrina, nulli virtute secundus:
Sed cuius vitam, moresque, & digna relatu
Facta sub obscura mersit caligine fama.
Illam nox volitans fuscis amplectitur alis,
Multa reluctantem, Lethæoque amne recondit.

III. Archiepiscopus Rigenſis Iohannes a Vechta.

Proxima Iohannes loca ſed qui ſorte tenebat,
Dum Mariana tuas nimium indignatus habenas
Gens ſpernit, triftesque animis vicifcitur iras:
Heu longum dira bellum cum gente gerebat.
Hinc quæ tercentos vires ſumpſere per annos,
Cœperunt odia, & triftes ſine fine querelæ
Sacros inter proceres, gentemque ferocem:
Quæ indomitas victa cœpit Ptolemaide vires.
Hinc Rigæ ciues, illinc Lituania bellum
Ingeminant Cruceſignatis, fortiqve Magiſtro.
Donec, vbi Noua ſydereas Mola ſplendet in auras
Congreſſi, & pugnas valida virtute mouentes
Infecere ſuo viridantes fanguine campos.
Vna quater centum ciues lux intulit Orco,
Abſumptos ferro, merſosque paludibus vdis.
At Vithines belli ductor, Lituanius Heros,
Multa putans, ciuesque animo miſeratus amicos,
Brunonem merita mulctabat morte Magiſtrum:
Exanimem fulvaqve illum extendebat arena,
Vt campo congreſſus erat, ſequæ ante ferebat
Arduus arma tenens, compellansque agmina triftis,
Iam conuerſa animis, iam retro ferentia curſum.
Sic bello audacis populi vexatus, & armis
Teutonicus pœnas ſcleris dedit Ordo, repreſſis
Agminibus latos vaſtabat barbarus agros,
Victorem & ſeſe ingenti clamore ferebat.

IIII Archiepiscopus Rigenſis Iohannes Comes Suerinæus.

Hinc ſubito calathis depromunt aurea fila
Nymphæ textrices, Nymphæ genus annibus vnde:
Et ſummo inſtructæ ſtudio curaque fideli

Effingunt præstantem animi, lataque regentem
Gente IOHANNEM Dominum, Comitemque SVERINI.
Illius Helmoldus patriam germanus, & vrbes
Littore Balthiaco magna virtute regebat.
At frater, cuius melior sententia mente,
Et pietas, cœlique ardor confederat alti,
Imperium accepit Rigæ, templique sacerdos.
Felix sorte sua, si non turbata fuisset
Dulcis, & alma quies, & Præsulis inclyta virtus.
Candida qui gestant Mariani pallia fratres,
Marte satis duro, pacique inimica iuuentus
Posthabita cepêre fide, cæcisque latebris
Carceris inclusêre virum, quo flamine Tarba
Gaudebat, Fridericum antiquo sanguine cretum.
Non illum virtus, non magni nomen honoris:
Nec delubra iuuant, sæui furor vndique serpit
Ordinis, & cœlum sceleratis prouocat armis.
At Comes ingenti mentem percussus amore
Iusticiæ, infontis casu & concussus amici,
Non illum extingui fætore, aut passus inermem
Occidi: dignas merito se concipit iras:
Infidumque genus, nec iam tractabile verbis
Mollibus, aut prece, Lethæo transcribit Auerno,
Deuouet & diris Diuorum vlttricibus hostes.
Hinc subito horrendum videas confurgere bellum,
Inque caput clari Comitum, vitamque tuendam,
Sentinam scelerum effusam, fraudisque Magistros
Mille nocendi artes, ipsumque Acheronta mouere:
Mille dolos agitare animo, nec parcere curæ:
Donec magnanimus Præsul, Comes inclytus ipse,
Cladibus & bello finem facturus iniquo
Hostibus in medium sese dedit, armaque prudens

Deposuit: Ceu cum densis miserè auia fyluis
 Errat ovis, quæ incauta gregem camposque reliquit,
 Vt miseranda lupum agnouit, viditque propinquum
 Per tacitum nemus ac saltus accurrere notos
 Subsistit, querulisque locum balatibus implet:
 Tandem vbi nulla hostem datur euitare potestas,
 Ceruicem tradit, vitamque sub ore relinquit,
 Sed Comes a sæuo fatis poscentibus hoste
 Liber vbi rursus Rigam, suaque arua reuifit:
 Romuleam, excedens gente hac concessit ab urbem,
 Tybris vbi cælo stringit gratissimus agros:
 Non bello, at legum se defensusur amico
 Iudicio, atque hostis vim propulsurus acerbam.
 Hic medio moritur Princeps conamine præstans:
 Atque suos magno in luctu, mæstosque relinquit.
 Illum Roma, illum Læuonia fleuit, & amnes
 Indoluère sacri, Nymphæque sub annibus ortæ:]
 Inclyta Megapolis gens mæstaque funere tanto
 Induit & pullos, niueosque abiecit amictus.

V. Archiepiscopus Rigensis Isarnus Italus antea Archie-
 piscopus Lundensis in Dania.

Hinc Italus Rigæ moderamina cepit ISARNVS,
 Danorum remeans ab agris, vbi Lundia floret:
 Quæ tantum reliquas inter caput extulit vrbes,
 Quantum humiles inter salices Iouis arbor opaca.
 Commissos animis, intempestosque tumultus
 Composuit, placidæ describens fœdera pacis.
 Namque illo Mariana cohors, sæuusque Magister
 Tempore, Conradi fines gentemque premebant
 Præfulis, vndisono paret cui Osilia ponto.
 Iamque Loden scopulis affixam, armisque coactam

Sub sua compulerant iuga, iam maiore virum vi
Hapsellas capere ingenti obsidione parabant.
At superadueniens clari solertia Ifarni
Coniunxit studijs animos, ac fœdere scissos.
Mox subito vt gentem agnovit populosque feroceſ
Livonum, patrias Italûm remeavit ad oras,
Nec viſus rurfus noſtris apparuit arvis,
Efferâ diſtractæ fugiens deliria gentis.

VI. Archiepiſcopus Rigenſis Federicus monachus
Franciſcanus natione Bohemus.

Sufficit huic alium Papa mox Avione Iohannes
FEDERICYM monachum, natumque e gente Boema,
Ille ſuo ſemper Comes indefeſſus adhæret
Pontifici, fœcunda ſolo quem Gallia habebat
Excuſſum Italia, profugumque a ſede Latina:
Triginta totos Phœbus dum conficit annos,
Et revoluta means toties ſua ſigna peragrat,
Nec viſa eſt illi gelido Livonia cœlo.
Non tamen interea ducebat mollia terris
Ocia longinquis, poſuitve e pectore curam
Commiſſi gregis, acceptasve remiſit habenas.
Imperium Litauæ regni Gedeminus habebat,
Pollicitus Chriſtum accepturum, ſacræque noſtra.
Ter conatus eum a vanis deducere Diuis
Mutatum, atque animo conuerſum ad numina priſca:
Ter nihil efficiens ſtudium conſumpſit inane,
Magnorum impenſis operum fraudatus & auro.
Ille olim in ſyluis Dominum, Regemque ſuorum
Aggreſſus Vithinem ad patrias truncauerat aras
Ter centum Diuos lingua, Diuſque tonantem:
Dotale extinctique viri cum coniuge regnum

Accepit, populumque sibi subiecit agrestem:
Nec tamen interea Fratres est passus multos
Teutonicus Præful, cum lis delata fuisset
Cardinei ad patres cœtus, sacramque coronam,
Namque fidem fecit totius nomine gentis
Enliferæ, admoniti cura accedente Magistri,
Conradus: causam tutatus fortiter illam.
Qui fuerat, precio inductus iam pluribus annis:
Submissuram animos gentemque ipsumque Magistrum
Præfulibus Rigæ: quorum olim summa potestas,
Summus honor fuerat: quorum Ordo munere tantas
Obtinuit gentes pro religione tuenda.
Magna quidem promissa, leues fortitaque tandem
Euentus, docuit miseris fatis exitus ingens.

VII. Archiepiscopus Rigenfis Vromoldus a Funffhausen.

Carolus hinc pulchra depictus imagine quartus
Cernitur aulæo, Imperij moderator & orbis,
Qui regnum Oceano, famam coniunxit Olympo.
Illius ipse pedes Præful demissus ad imos,
Consilio prudens, animi maturus, & annis
VROMOLDVS grauis, & gelida tardante senecta,
Suppliciter lachrymans, verbis haud mollia fatu
Commemorat, veteresque miser renouare dolores
Cogitur, & scelerum artifices memorare propinquos.
At Cæsar procerum Imperij præsentè Senatu
Iura vetustorum Regum, quæ tradita quondam
Flaminibus Rigæ, mansuro robore firmat:
Atque iubet seros sancte hæc seruare nepotes:
Quæ non vlla dies, non annis lapsa vetustas
Vel turbare velit, vel tempore perdere longo.
His lætum dictis, gaudentem & munere tanto

Dimittit Cæsar verbis solatus amicis
Pontificem. Quin te pingunt Romane sacerdos,
Siue poli custos, siue alti es ianitor Orci:
Aurata effictum fella, triplicique thiara
Velatum caput, & miro splendore nitentem:
Omnes, quotquot habet, viuentes ordine nullo
Ordo potens, dare Persephoni, Stygiæque paludi:
Tristis vbi gemitus, Phlegeton vbi flammeus agros
Diuidit, & nouies Styx interfusa coeracet.

VIII. Archiepiscopus Rigenfis Iohannes a Sinten.

Non tamen idcirco positum certamen honoris,
Hirsutumue supercilium, manet vna voluntas,
Pontificem eicere, aut ferro maectare cruento
Infontemque animam tristi demergere letho.
Donec IOHANNEM, quo gens se Sintia tollit,
Cuius clara amplum fama est vulgata per orbem
Pontificis, gravis ira & inexaturabile pectus
Ordinis ingrata cogunt excedere terra:
Et profugum, miserumque preces descendere in omnes.
Illum textrices pelago dare vela patenti
Effingunt stantem in prora, Diuosque vocantem,
Atque mari sparsas numerantem Cycladas alto.
Inde Bohemorum, post tantum vndæ æquor aratum,
Post falis exhaustos fluctus, pelagique labores,
Magnifico regno sistunt, & Cæsaris aula,
Auxilium implorantem, & regia tecta petentem.
VVENCESLAVS vbi causam est edoctus, & artes
Infidi gregis, æthereæ tutela Mariæ
Cui duram attolit mentem, firinatque ferocem,
Hunc Italo patri, cui mœnia celsa Quirini,
Cui gens Ausoniæ paret, quem Tybris honorat,

Commendat summo studio, & prece flectere inani
Apparat haud visu facilem, magnoque futurum
Augurio monstrum, si quid rectiue pijue
Ille seges scelerum corde admisisset auaro,

Bonifacius primus Papa.

Cui falsum nomen nono bona facta dederunt.
Sed quanto ipse magis Præsul, Cæsarque precandø
Insistunt, causam dubijque tuentur honestam,
Eriperet letho exiguas res. Præsulis atro,
Neu daret excidio, postquam ruere omnia visa,
Nec sacris adytis homines pateretur agrestes,
Nulla quibus nota ars, aut experientia rerum
Cognita, sed belli furor, indignæque rapinæ,
Et furijs agitated amor: tanto ille feroci
Exuperans animo magis indurescit, & ira
Æstuat, & miserum præclaro priuat honore:
Atque alium sacris Rigæ temploque reponit
Inde sacerdotem Mariana e gente Ioannem.
Omnibus affectum sic casibus, omnium egenum
Deseruit Papa, dum precium pro crimine sumit,
Et vario indignam prætexit nomine culpam
Auro deceptus. Sic fraus innexa clienti
Iudicio turpi: sic est nihil omnibus actum
Tantum impensis operum, studiisque bonorum
Nec miseræ valere preces. Sic itur ad Orcum
Romano patri: sic ille ad tartara tendit.

**IX. Archiepiscopus Rigenfis Iohannes a Vualroden
nobilis Francus.**

Alter IOHANNES, quo Francia gaudet alumno,
Et domus illustri tollit Valrodia fama:

Prussiaco iunctus qui sanguinitate Magistro,
Ordinis atque Comes fuerat, gentisque sacerdos:
Sæpe SIGISMVNDVM, regnata vbi Pœone tellus
Diues opum, diuesque expressi e vite liquoris,
Quondam armis belloque potens, nunc languida restat,
Ipse adijt: commissa sibi dum pondera rerum
Magnarum Ordo daret vigili expedienda labore.
Quin etiam dum post totus coit orbis in vnum,
Concilium & Cæsar summis de rebus haberet
Boiorum ille solo, celsis Constantia muris
Iuncta lacu irriguo vitreis vbi spargitur vndis:
Et nouus Aufoniæ sedi, tonsæque cohorti
Præficiendus erat magno discrimine Præsul:
Cardineos inter patres est lectus, & illi
Nomine Germanæ gentis concessa potestas,
Qui sua cum reliquis populis suffragia ferret,
Tanta viri virtus animo, tantusque recursat
Mentis honos, ipsum studiisque accendit honestis
Regnatorem Europæ, illi cum cognitus esset.
At Rigam rediens, vbi non responsa dabantur
Fida satis, mentemque Ordo mutaret amicam,
Ut solet, hinc alias longe decessit ad oras,
Atque Eburonum vrbis Præsul suscepit habenas.
Nec longum in medio tempus, vir summe veneno
Pressa tibi in longam clauduntur lumina noctem
Infidi ciuis scelere, infandoque tumultu.
Sed tua fama tamen manet, æternumque manebit,
Et tibi magna satis, quamuis malus vndique liuor
Carpere non cesset, fœdoque arrodere dente.
Huttenus tua facta orbi noscenda patenti
Consecrat, atque alij, quorum monumenta leguntur,
Multa laude ferunt, æterno & munere donant:

Nulla dies vnquam memori quos eximet æuo.

X. Archiepiscopus Rigenſis Iohannes Habundus antea
Episcopus Curiensis, Decretorum Doctor.

Sceptra IOHANNES Rigæ mox fuit Habundus,
Postquam illi semper manet alta mente repositum
Exitium profugo, sæuæque iniuria gentis.
Hic quondam fortes vbi Curia splendida Rhætos
Vrbs antiqua solo præcellis turribus ornat,
Pontificale pedum tulit, & sacra munera rexit
Iurgia non illi, non illi prælia curæ:
Sed pax alma virum fouit complexa benignum,
Et pietatis amor cæli penetralia lustrans.
Lethiferum vidit corruptis frugibus annum,
Arboribusque fatisque luem, tum corpora passim
Corrupto cæli tractu, miserabile visu,
Linquere per campos animas diffusa patentes.
Ipse quoque hos inter luctus, & funera mœsta
Mortales terras consumptus peste reliquit.

XI. Archiepiscopus Rigenſis Henricus Præpositus Rigenſis.

Hinc alium subito tanto Papa munere donat
Præpositum Rigæ HENRICVM, qui nobile cogens
Concilium, patres ad limina sacra vocauit,
Quos rerum dominos tristis Liuania vidit.
Tum vero horrendum visu, dictuque superbum
Effingunt Nymphæ scelus, aulæque retexunt.
Hic misera ante alias nimium concussa puellas
Liua decus fluuiorum, & tristi languida luctu,
Vt pingi cœptum facinus, quod viderat olim,
Atque suo peragi lachrymosam in littore cædem:
Ah roseas laniata genas, laniata capillos

Mortem orat, tædet cœli conuexa tueri:
Multaque se incusat, quæ non effusa repente
Strauerit autorem facti superantibus vndis,
Merferit & Stygio caput hoc crudele profundo.
Ardua legatos Romam mandata ferentes
Concilium mittit, donisque ingentibus ornat,
Conquestum: sacras quam tristis casus agat res:
Irarum vt miseros circumstent vndique montes,
Et conuulsa ruat crudeli funere Riga.
Iamque oratores Curetum finibus ibant
Incolumes, nullaque animum formidine pressi.
Alitis in paræ subito collecta figuram
Tisiphone, & cœptis immanibus effera virgo:
Maius adorta nefas, maioremque orsa furorem
Euolat, ac quendam gaudentem cæde tyrannum
Gosuinum, & genti Marianæ fœdere iunctum
Incitat, ac facti incendit crudelis amore
Perdere cæde viros, ferroque absumere captos.
Ast illi iampridem vbi res hæc pulchra videri
Cœperat, ac prædæ spes læta illuxerat amplæ
Nulla mora, insequitur securos, agminaque armat,
Arx Grubinæ suas vbi tollit ad æthera moles:
Spemque metumque inter dubios, vbi Liua pererrat
Arua solo pingui, & pelago se turbida miscet:
Excipit insidijs, hyemisque in frigore duro
Exuit, & nudos, vbi nix glomerata iacebat,
Tormenti genus, infanda sic morte necabat.
Mox alios, res ipsa quibus commissa disertis,
Atque iniuncta fuit tanti legatio sumptus,
Omnibus affectos dictis, risuque gementes
Præcipitans glacie immergit, vastoque profundo
Fundentes blandas animas, miserosque relinquit,

Nec tumuli finit hos, terræue in viscera condi
Exanimés, nec non cœlestibus amplius vllis
Debentes, postremum aut trux comitatur honorem.
Sed latrantibus hac canibus data præda Decanus
Fluminis in ripa tuus ampla Reualia Nymphis
Pingitur, atque auras graueolenti incesstat odore.
Egregiam vero laudem & spolia ampla tulisti
Tuque, gregesque tui, magnum & memorabile nomen
Perfide, quem duris genuit sub cautibus horrens
Caucasus, Hircanæque admorunt vbera Tygres.
Hisne precor famulum Diuæ decet esse Mariæ
Moribus? his animis? quæ vestra hæc illa superba
Relligio? quæ tanta animos scelerata subegit
Impietas? sed vestræ hæc sunt facta inciyta laudis:
Hæc studia: hæc tantæ præconia splendida famæ,
Supra homines, supra ire Deos qua tenditis vna.

XII. Archiepiscopus Rigenfis Henningus Scarpfenbergius.

PROXIMUS HENNINGVS tacitis inglorius annis
Exigit ætatem, pacemque & fœdera firmat,
Quæ toties connexa olim Mariana potestas
Soluerat, indignoque furens diruperat aufu.

**XIII. Archiepiscopus Rigenfis Syluester Cancellarius
Magistri Liuonici.**

Tum vero vt fato cessit, moribundaque liquit
Viscera, compositus tumulo, quem maxima cernit
Riga choro celfo, quo multos area patres
Continet absumptos lethoque, & lumine cassos:
Belligere cura confestim & fraude Magistri
Syluester succedit, eum grex ordinis omnis
Prosequitur votis, & suminis laudibus ornat,

Felicemque putat se, & maxima surgere regna
Consensu tali, patrum comitantibus armis.
Ille comes fidus fuerat, sociusque Magistri,
Quicum partiri curas, cui credere sensus
Arcanos, & consilia haud manifesta solebat.
Versa sed in magnos tandem hæc sunt gaudia luctus.
Et lætos plausus bellum crudele sequutum.
Syluester, quoniam quanto sit munere, quanto
Terrarum tractu illustis, Liunia tota
Cui Regum studijs quondam subiecta fuisset,
Cernit & hoc animo reputans considerat alto:
Iam minus atque minus paret, iam se quoque dignum
Esse loco tanto putat, & commertia vitat
Ordinis intempestiui, magnique Magistri.
Hinc subito ingentes cædes, magnæque ruinæ,
Flammæque, & sanguis precioso intexitur ostro.
Ipse Cochenhusium Præsul, crudele parari
Exitium vt vidit sibi, cum diffideret armis
Ipse suis, bellique impar pro nomine tanto
Cerneret auxilium, sua nunc promissa reposci,
Se signari oculis, sibi lethum informe parari:
Arcem altis structam conis, magnisque superbam
Aggeribus murorum, & denso milite plenam
Occupat, ac belli fortunam expectat acerbi.
Interea Fratres portis circum omnibus instant,
Sternere cæde viros, flammisque immittere tectis.
Donec, vbi rara muros cinxere corona
Obsessi, & nequicquam inclusi tela lacescunt:
Ipse iubet Præsul portas aperire reclusas.
Mox intromissi hunc quærunt, tandemque repertum
Et circumstant, & duro carcere claudunt.
Quin (scelus horrendum) tardo absumsere veneno

Iam fractum curis, vitæque extrema trahentem
Pontificem. Hæc miserum fors vatem, hic exitus illum
Morte tulit, raptumque indigno funere merfit.
Tunc quoque, Dij capiti ipsorum, scelerique rependant,
Præstantes operas, monumentaque prisca virorum,
Historias patriæ, Regum & conscripta tabellis
Bullatis indulta igni flammisque dedere.
Ciuibus at Rigæ iam res indigna videri
Cæpit, & immanes iustus dolor armat in hostes.
Auxilio venere suis. Hinc maxima surgit
Bellorum moles, multosque immobilis annos
Durat, & ingentes componit cædis aceruos:
Nunchis, nunc illis vires fortuna ministrat
Lubrica, non illo quisquam discrimine belli
Lætatus, pars mœsta suas tulit vtraque clades.

XIV. Archiepiscopus Rigenfis Stephanus Grubenius
Lipfensis procurator Ordinis Teutonicæ Romæ.

Interea STEPHANVS Romana accitus ab vrbe,
Conceptum Phylira Nympha quem lætus Elister
Progenuit Musis grata Misneide terra,
Præfulis officium accepit, Rigamque verendus
Per medias acies, per castra inimica receptus
Venit, & est ciues bello solatus aperto,
Res Marianorum, vitriciaque arma perofus.
Aufonia quanquam iam longo tempore in vrbe
Iudicio interpres legum ille fequutus amico
Illos, caufamque illorum defenderat acer.
Ergo illum magno cumulatam exornat honore
Ciuis, regifico luxu menfasque decorat,
Dum fortuna fauet, facies dum prospera pugnae,
At postquam luctus, durisque in rebus egeftas

Aduenere vrbe obfessa, telisque petita:
(Heu miserum dictu) Præful vix munera tantus
Legiferæ Cereris, queis vesceretur, habebat:
Et domus ad tristes sacra est conuersa rapinas.
Hoc turbante animum luctu, tristisque dolore
Iam vires fumente nouas, animam ille gementem
Linqvit curarum magno sub pondere fractus.
Tunc vrbs indignata animis, accensaque luctu
Arcem ingentem, amplam, cœli quæ sydera tangit,
Mœnibus adiunctam excelsis, nimiumque propinquam
Expugnat flammis incensam, atque ariete multo
Afflictam: trifidos sonitus imitatur Olympi
Machina inexhaustis Chalybum constructa metallis,
Mox, mandata quibus fuerat custodia, pacti
Vitam, fortunasque suas, abiere repulsi,
Et respectantes arcis crudelia fata.
Ceu lupus vt celerare canes, ipsumque venire
Venatorem inter fyluas cognouit opacas,
Consciis infandæ cædis, per deuia caudam
Subijciens pauitantem vtero deflectit, & vrgens
Inceptum cursum subito ceruice reflexa
Respicit, ipsi illum frutices, humilesque myricæ
Perculsum terrent. Haud illo segnior ibat
Grex Crucesignati populi ad sua lustra recurrentis.
Tum prolapsa ruunt grandi confracta fragore
Mœnia, sydereâ resonat grauis impetus aura.
Sic cum mœsta dies & ineluctabile fatum
Dardaniæ venit, quondam Neptunia Troia
In cineres resoluta fuit, nigrasque fauillas.
At parte ex alia, fluuius qua Alphæus inundat
Trepidamque Segevoldam ac celsæ tecta Cremonæ,
Agmina concurrunt ducibusque & viribus æquis.

Hic cui Fratres acies inferre pedestres
Insuetos videas subito dare terga sequaci:
Commendatoresque trahi longo ordine captos
Septem, armis opibus virosque, famaue potentes.
Hos inter Goldinga tuus, cum plurima cælo
Tempeſtas niibusque, & duro frigore mixta
Obscuro rueret, terram & diffinderet ipsam:
Obrigit moriens, & frigore fractus acerbo
Infelicem animam malefidis efflat in armis.
Arx quoque cæruleæ quæ floret ad ostia Dunæ
Obsessa, atque graues certamine passa labores,
Ut ventum ad summum est, nec fors inimica regressu
Spem daret attonitis, aut corda labantia victis
Erigeret, pandit portas, ciuesque furentes
Accipit, atque iugo collum submittit acerbo.

XV. Archiepiſcopus Rigenſis Michael Hiltebrant
Reualienſis.

Interea Auſonia demiffus ad vrbe MICHAEL,
Quem peperit glauco coniuncta Reualia ponto
Præſtanteſtudijs Muſarum, ac robore linguæ,
Accepitque pedum Præſul, faſcesque repoſtas
Tantum ſtrepitu bellorum ac turbine Martis.
Ille ſibi iunctis, nuper quos celfa Lubeca
Miſerat, atque alijs magna ditione vocatis
Præſulibus, mollitque animos ac temperat iras
Ordinis, ac læti ciuis ſucceſſibus ampliſ.
Hi pietate grauem ac meritis ut forte virum illum
Conſpexere, ſilent, arreſtisque auribus aſtant.
Ille inter ſeſe, vario ſermone ſerentes
Cædesque & belli iura audit, denique iunctis
Collectamque fugat rabiem, pacemque reducit.

Sic cunctus belli cecidit fragor, effera postquam
Pectora componens, corde ac sincerus aperto
Indomitam bello gentem, scissamque furore
Infano, Præful verborum pondere flexit.
Nec procul hinc Nymphæ effingunt crudelia bella,
Bella procul Scythicis plus quam crudelia campis,
Atque datas sceleri pœnas. Dux ille Ioannes,
Quem Tanais timet, & perfusa Borysthene tellus
Ductorem bellis sequitur Muscouia sæuis
Magnanimum, nostros ruit importunus in agros,
Supremo sed causa Deo cum victa placeret,
O præstans animi Præful, Pletebergeque celse,
Flos veterum virtusque virum quos omnis euntes
Prosequitur vestro ductu Liuonide terra,
Egregiam certe laudem, famamque parastis.
Vos, quoties addicta Cruci lux aurea splendet
Erectæ, celebret placidis Ecclesia votis,
Vestro erepta animo, vestra virtute redempta.
Sexaginta cadunt Moscorum millia ferro

XVIII. Kl. Octob. anno 1501.

Liuonidum, fuerant horum qui castra sequuti
Exigui numero, sed bello viuuda virtus,
Hic vbi sæpe olim Plefcouia subdita nostro
Imperio, coniuncta lacu nitet ampla profundo.
Omnis eo terrore hostis, trux Tartarus omnis,
Omnes compulsi vertebant terga Tomitæ.
Nunc vero, at præstat motus componere cordis.
Interea pubes Liuonum, & stulta iuuentus
Disce viris virtutem ex his, bellique laborem.
Fortunam Deus ipse dabit, contrariaque aptam
Fata viam inuenient precibus superata piorum.

XVI. Archiepiscopus Rigenfis Gaspar Lindius
Vuestphalus Canonicus Rigenfis.

Lanificæ postquam Michaeli stamina Parcæ
Ruperunt, vitamque potens mors vicit amicam:
Romulei patris studio, iussuque Senatus
Cardinei GASPAR Rigæ moderamina cœpit
Lindius, egregiusque animi, legumque peritus,
Vuestphalicis prognatus auis, vrbs Tremonis altos
Qua tollit muros, iunctum cernitque Camenum,
Quod puero teneros nascenti præbuit ortus.
Hic mitis placidusque sacris operatur auitis
Imponitque suis leges, monumentaque condit,
In quibus antiquam rationem ac iura sacrorum
Describit: mandatque suos seruare minores.
Mortuus egregio tumulo est ornatus in vrbe
Dunicola, vnde illi vires, & nomen, honorque
Surrexere viro: quem postquam fata tulerunt,
Inuasit gaudens scissa Discordia palla
Pontifices, vrbemque odijs inuasit iniquis.

XVII. Archiepiscopus Rigenfis Iohannes Blanckefeldius
Berlinensis, Episcopus Tarbatensis, Iurif-
consultus doctissimus.

Præful erat Tarbæ multa virtute IOHANNES
Quo domus extollit sese Blanckfeldia, Musis
Deditus, Aufonij Leo quem præfecerat oris
Imperio tanto, Medycum ille e sanguine cretus.
Qui cum legatus magnis de rebus agebat
Nomine præstantis Ioachimi, Marchia tellus
Atria quem celebrat castis fundasse Camœnis,
Atque ornasse illic Musas Helicone vocatas,
Odera præcurvis vbi lucida flexibus errat,

Francorumque vado dictam præterluit urbem.
Hæc vrbs sæpe illum coram est mirata Ioannem
Tradentem leges, & vasta volumina iuris,
Immensumque operis corpus ratione docentem.
Vt Gaspar letho canentia lumina soluit,
Hic statione illi tanta succedit: at illum
Exclusere sui, nec iuramenta dedere.
Nam doctrina sacro postquam renovata LVTHERO,
Atque suo nostris verbo Deus appulit oris:
Tollentes animos ciues, atque arma minantes,
Aggressi templorum adytus simulachra Deorum
Turbabant, bellum & muta cum gente gerebant.
Deورات absumptos acies Vulcania Diuos.
Tum reliquam turbam monachorum, & pectora dura
Atque sacerdotes vrbe eiecere superbos,
Nequicquam spacium orantes, requiemque precantes,
Atque humectantes lachrimis ingentibus ora.
Tum vero Præsul manifesta excanduit ira,
Seque suosque pater furibundum excindere ciuem
Talia non doctum (nec enim mens illa Lutheri)
Indoluit, luctumque animo concepit acerbum.
Nec mora, conquesturus abit tibi maxime Cæsar
CAROLE tam magnos de relligione tumultus
Auxiliumque orare tuum, atque exposcere tentat.
Iamque iter emensus longum, plenumque laboris,
Floret vbi diues regnis Hispania opimis,
Tercomadam urbem tibi clara Valentia iunctam
Contigerat: spes iamque animo conceperat amplas:
Correptus morbo vitam causamque reliquit
Expositam nondum. O nulli exaudita Deorum
Vota precesque tuæ. Sed non sine numine Divûm
Occidis, & dura vitam sub fasce relinquis.

Interea te fama, & doctæ gloria linguæ
Haud nostræ indecorem gentiue vrbiue tuentur. 17
Donec erunt Veneti monumenta imperdita Bembi,
Scriptaque ter magni stabunt illæsa Philippi:
Semper honos, nomenque tuum, laudesque manebunt. 18

XVIII. Archiepiscopus Rigenfis Thomas Schoningus
Rigenfis, Præpositus Rigenfis

Tum vero Aufoniæ gentis Rex atque sacerdos
Tuscorum Medycum Clemens e stirpe creatus
Præpositum THOMAM sublimi exornat honore
Schoningum, quem Riga tulit patre Consule natum
Huic quoque nec paret ciuis ferus æqua iubenti,
Ereptamque vrbis partem, spaciumque petenti:
Aut iuramenti vult relligione teneri.
Sic contra vetitum infelix discordia durat
Cæsatis: & vario turbantur pectora motu.
Ille omnes, quascunque vias fortuna ministrat
Ingreditur: nunc hos precibus, nunc strenuus illos
Imperij Heroas causam, dirumque tumultum
Edocet, atque suis quæ sit fiducia rebus.
Ipse quoque armigeræ splendentia tecta Lubecæ
Naue petit: totumque illic spe turbidus annum
Expectat fatum melius, responsaque læta:
Vrbs Nemetum edicto sacri dum Cæsaris amplos
Congressus videt, imperij coniunctaque membra.
Tu quoque dum fratrem curis ingentibus æquas
Ferdinande pater, cui nunc gestamina Regni
Tradita Romani, auxilium promittis amicum
Pontifici, & tristem casu solaris iniquo.
Vrbs quoque Vindelicis quo tempore nobilis oris
Conventus, Augusta novos, teque inclyte vidit

CAROLE componentem animos, & iura ferentem:
Confessu procerum simili ratione laborat.
At postquam agnouit frustra se exposcere ciuis
Antiquo de more fidem, suaque irrita vota:
In socium Regni ac sedis te maxime Princeps
Assumit GVLIELME, o laus & fama tuorum
Marchiaca qui stirpe fatus, virtutis auitæ
Signa dabas, dum vita tibi secura manebat.
Ambo arces partiti inter se iura subacto
Constituunt populo, & iustis moderantur habenis.
Donec vbi Thomas lumen vitale reliquit
Extinctus, solus princeps rerum ille potitur.
Ampla Cochenusij surgunt vbi mœnia, Dunæ
In ripa viridi, templo ille est conditus alto
Syluestro lateri iunctus. Sic patria ciuis
Offibus ampla caret. Generi sic cuius & annis
Indulsit fatum, patriæ gens aspera spreuit.

XIX. Archiepiscopus Rigenfis, Illustrissimus Princeps
a Dominus, Dominus GVLIELMVS Marchio
Brandenburgensis &c.

Insigni GVLIELMVS equo cataphractus in amplo
Pingitur aulæo, atque acies incendit equestres:
Dum pia nobilitas cultus exosa vetustos,
Sacraque, & infandos Diuorum altaribus ignes.
Fluctibus in medijs vbi clara Osilia surgit,
Hunc dominum cupiunt & relligionis honorem,
Biffeni qualem proceres sparsere per orbem.
Nec minus Antistes nitidis contrarius armis
Reinoldus belli sequitur studia, atque labores
Impiger, at campo haud audet concurrere aperto,
Obiectuque maris pugnam & sua tela retractat,

Hapsellasque Lodenque capi permittit ab hoste.
Nec longum in medio tempus, tu maxime Cæsar
Non passus tantas acies concurrere, & armis 17
Excindi proprijs præclaram ad prælia gentem,
Fœdera constituis clemens, pacemque reducis.
Illi compositis firmabant fœdera dextris 18
Ante aras, sic vt tua Christe infracta maneret
Gloria, & illæsa ætherei mysteria verbi,
Haud procul & ciues Rigæ, præfactaque nuper
Pectora suscipiunt GVLIELMVM, & more vetusto
Subijciunt sese domino parere parati.
Totus eum populus, totus cum plebe Senatus
Excipit ingredientem urbem, atque armata trahentem
Agmina: nec placidi imperium, vel iussa recusant.
Tum miserum visu ab dictu lachrymabile telis
Intexunt Nymphæ ac tristi conamine pingunt:
Templum, auratum, ingens, centum sublime columnis.
Atque apices summos, vnde omnis Riga videri,
Atque rates pelago vectæ potuere profundo,
Lambit inexhaustis acies Vulcania flammis,
Destructasque quatit moles, imperdita solum
Fundamenta manent, quæ tantum ad tartara tendunt,
Quantum celsa auras tangunt fastigia summas,
Tum pestem, atque acies cœlo concurrere densas,
Nubibus & diros pingunt lucere Cometas:
Plurimaque iratum signa ostendentia cœlum.
Iamque sibi natum, successoremque creat

Christophorus Dei gratia Coadiutor Rigenfis Episcopus
Raceburgensis & Megapolensis.

CHRISTOPHORVM præstantem animi nec laudis egentem
Antiqua de stirpe Ducem sibi sanguine iunctum,

Quem Polabi, quem gens Obotritia sacra gerentem
Munera Pontificis studijs venerata colebat.
Illum velatum prima lanugine malas
Accepit senior, regnique in sede locauit.
Hinc Ordo armipotens, furijsque exercita cœcis
Gens infida virum, solitas ne linqueret artes,
Diuinum Heroa, & summa virtute valentem
Brandenburgiacum: cuius benefacta, decusque
Et nati natorum, & qui nascentur ab illis
Cantabunt, facientque suos meminisse nepotes:
Bello inuaserunt subito nulla arma minantem.
At quæ causa animos tantas confurgere in iras
Compulerit, quæ suspicio, quæ fata Deum Rex
Addiderit genti, scelerumque autoribus illis:
Iam celebrata satis, scit late maximus orbis
Extra anni Solisque viam scit cœlifer Atlas,
Et Nomades, Afrique, sagittiferique Geloni.
Ductores equidem magnum diuersa per orbem
Supplicia, & pœnas scelerum expendere recentes.
Pars Hyperboreos montes, Tanaimque niualem
Abducta accessit, pars belli absumpta ruina est:
Ast alij nostro diuisos orbe Suëcos
Viderunt, magicaque insignes arte Pilappos.
Hæc adeo ex illo tibi iam speranda fuerunt
Tempore, quo demens GVLIELMVM Ordo improbe
Pontificem belli infando certamine diri (sanctum
Eijcere, obsessumque ausus sine iure fuisti
Opprimere, insignes Regumque laceßere amicos.
Namque AVGVSTVS agens fortes in bella Polonos
Sarmatiæ REX martipotens, atque optimus Heros
ALBERTVS frater, cuius pia fræna Borussus,
Sudetesque feri, pelago qui succina quærunt,

Sembi, Natangique, & semiferi Samogetæ
Agnoscunt, longuinque æuum, placidumque precantur
Diuina virtute Duci, dominoque benigno:
Cōiunctis armis Marianam absumere gentem
Cœperunt, magnumque malum clademque dedissent
Incensi iustis odijs, & crimine tanto,
Ni tanto bello veritus maiora Magister,
Præscriptas tandem leges ac fœdera pacis
Vltro accepisset, facti veniamque rogasset,
Sic quondam cœlum quando inuasere Gigantes
Inflati, folioque Iouem detrudere ab alto
Mens agitaret, & ingenti se corpore ferrent:
Summam ignominiam pulchra pro laude tulerunt
Derisi, & pulsi telo Iouis ære trifulco.
Nec procul hinc Nymphæ pingunt Liuonide terra
Effusam Scythiam, & gentes sine lege feroces,
Arua aliena iugo premere, atque abducere raptos,
Demoliri arces, tectis immittere flammæ:
Diffugere in syluas miseros, montesque remotos
Ruricolæ turmatim. En quo discordia nostros
Perduxit dominos, en queis cōseuimus agros,
Barbarus hæc tam pulchra noualia Moscus habebit?
Tartarus has segetes? nostræ miserescite sortis
Dij, si qua est cœlo pietas quæ talia curet.
Talibus inter se miseri sermonibus orant.
Hic Scythicæ incedunt pictæ longo ordine gentes,
Vt linguis iuncti, sic cultu vestis & armis.
Hic quos Tulla dedit ripas ad fluminis Vppæ,
Progenitos, qui Suram amnem, latosque Rezani
Herbiferos habitant colles ac iugura culta.
Qui Vorotine domo, magnaque e gente Serrera
Acciti: Coluge pulchro quos mittit ab Occa

Pellibus indutos vrsorum, atrisque ferarum
Exuijs, horrendum agmen dum spicula torquent
Noxia: nec Toropeza suos tenet effera natos
Assuetos bellum peregrinis ducere in oris.
Terfacidæ instructi calamos armare veneno
Subiecti præclara tibi Nougardia quondam,
Nunc Moscorum armis domiti, sæuique tyranni
Basilij, effrenes victricia signa sequuntur:
Dissectosque necant pueros, matresque papillis
Lactantes priuant scelerati cuspide ferri.
Hic quos iuncta tenet lapidoso Vglitzia Volgæ,
Quos Vaga, quos Galazita, et Castrimogodia mittit,
Hos adeo populos, atque hæc immania bello
Agmina Liouum vidit gens territa nuper.
Horrendum visu: totasque a sedibus imis
Disiectas arces, vrbesque sub arma coactas
Moschica, & infestos Diuis vltoribus hostes.
Parta alia GVLIELMVM extinctum ad busta ferebant
Liouidæ miseri, patriæ patremque vocabant
Exanimem lachrymis, supremo & funere raptum
Hic legio puerorum ingenti accensa dolore
Lugentes iterant cantus, supremaque soluunt
Munera, lugubrique canunt longo ordine voce.
Ceu quondam in syluis pastor cum fessa sopore
Membra rigat, gelidaque iacet refupinus in vmbra,
Et iam tempus oues sua sub præsepia pastas
Cogere, straminea & villarum culmina fumant.
Stat pecus omne metu mutum, iamque æthera tristi
Balatu exercent, campi collesque resultant.
Tum facibus dextras armati, & lumine multo
Biffeni iuuenes miserandum ac triste pheretrum
Præcedunt: pullisque induiti vestibus omnes

Luce viam signant, & lumine compita lustrant.
Tum proceres vr̄bis, lectusque e plebe Senatus
Sublimem gestant humeris, solatia luctus
Exigua immensi, caro sed debita patri.
Vt vero portas templi intrauere patentes,
Ingentem luctum tunsis ad sydera tollunt
Pectoribus ciues, & quo Samogetia gaudet,
Præful: Sarmatiæ quem Rex AVGVSTVS, et omnis
Sauromatum ad tumulum misit gens vndique mœsta.
Tanta pij virtus senis, & præsentia viui
Occurfat, penitusque animis immobilis hæret.
Tum pius ascendens cathedræ fastigia doctor,
Vt ventum ad tumulum, lugubri carmine laudes
Marchiacas & facta refert: vt mille labores
Pro Christi decore, & pro religione renata,
Lustrata velut, atque iterum diuinitus orta
Pertulerit: tu Romanas inuicte Charybdes,
Scyllasque & positos celsis altaribus ignes
Deturbas, veteremque iubes renouare nitorem
Doctrinæ: nostro purus qui tempore splendet.
Mon te vllæ facies, non terruit ipse Tyrannus
Aufonius, degens Tyberini ad fluminis vndam,
Te Russi tremuere, omnis te Moscia tellus
Horruit armatum, contrariaque arma ferentem.
Otibi præteritos retulisset Iuppiter annos,
Qualis eras, quando nostras te misit ad oras
Ipse Deûm Rector, nutu qui cuncta serenat,
Terrasque tractusque maris, cœlumque profundum.
Si geminos tales Liuonia mœsta tulisset
Terra Duces, vltro Scythicas venisset ad vrbes
Germanus, versisque doleret Moscia fati.
Sed nos, quandoquidem fati vrgemur iniquis

Te raptum letho Præful sanctissime tristi
Lugemus, nobisque obitus celebramus acerbos.
Salue Sancte pater, te nulla redarguat ætas.
Nos alias hinc ad lachrymas, & Martia belli
Fata vocant Diui, salue GVLIELME canende
O pater, & nostris quondam spes vnica rebus:
Æternumque vale. Tantum ille effatus ab alta
Descendit cathedra, & facto sermone quiescit.

XX. Archiepiscopus Rigensis designatus Illustrissimus

Dux Megapolensis SIGISMVNDVS AVGVSTVS

Iohannis Alberti Ducis Megapol. Filius.

Inde SIGISMVNDVS præclaro AVGVSTVS honore
Insignitus adest texturæ in fine nitentis,
Sarmatici referens nomen memorabile Regis:
Ora puer prima signans intonsa iuuenta.
Astat ei genitor, quo non præclarior alter
Eloquio, mentesque hominum sermone gubernat,
Siue inhibere animos, laxasue immittere habenas
Mens agitat. Stupet ipsa velut Cicerone loquente,
Vasta sub Arctoo cantata Polonia cælo.
Nec non sanctus auus, materni sanguinis autor
Stat senior pius ALBERTVS, qui parua nepotis
Membra manu firman, oculosque per omnia lustrans,
Cum genero Regem cæli terræque supremum
Testatus, tibi sancte Puer felicia fato
Sydera, & ætatem longæuam voce precatur.

Hac celebrata tenus rerum fastigia summa
Priscarum, longo vittatique ordine patres.

Aulæo postquam fulgenti turba supremam
Impoluere manum, pars frondea ferta salicti
Imponunt capiti: pars suaue rubent Hiacynthum:

Antiquosque canunt patres ac fata virorum.
At RVBO, quianam Nympharum splendida dona
Miratur, rerumque ignarus imagine gaudet
Tantarum, obtutuque hæret defixus in vno:
Argumentum ingens tibi enim tibi maxime princeps
Celse SIGISMVNDE AVGVSTE ô patriæ decus amplæ
Portaturus abit, gentemque orasque relinquit
Liuonidum: desolatos ac cædibus agros.
Nube caua septus vadit rumore secundo.
Tegmina dependent madidis apicata capillis,
Hirsutumque supercilium barbamque recondunt:
Canitiemque Dei sacram: tum cætera membra
Carbaseo inclusit pallæ velatus amictu:
Mota sonantque imo conchylia margine vestis.
Iamque nitens summo Phœbus fulgebat Olympo
Et medium cœli conscenderat igneus orbem,
Ad ripas Steræ sistens, cum celsa domorum
Tecta videt, positam & campis felicibus urbem,
Atque lacu cinctam, dictamque a gente SVERINVM
Vandalica, quæ prima suas hîc maxima sedes
Composuit, celsamque eduxit ad æthera molem.
HENRICVS sed gente LEO sub signa coacta
Christiadum, & sacro baptismi flumine merfa
GVNCELINE COMES tibi, magno accensus amore
Has olim sedes, hanc tanti nominis urbem
Tradidit: & feros iussit regnare nepotes.
Sic Comitum longo celebrata est fama SVERINI
Tempore, & hæredes peperit virtutis auitæ.
Donec Otho, natam Alberto qui tradidit vnam
Addidit & Regnum, claramque illustribus urbem
Auspicijs domino regnatorique potenti
Megapolis, qui prima Ducis cognomina nactus

Acceptit, summiq; insignia splendida honoris.
Carolus hunc Quartus tam magno nomine donat,
Virtuti sua dona ferens ac præmia laudis.
Inde Duces orti, quos nunc Germania tota,
Quos Italûm tellus, deuictaque Gallia Francis,
Quos Hispania, quos generosa Polonia laudat,
Ac dominos rerum agnoscit Liuania, priscos
Vidit auos lætis quondam qui ducere bellum,
Ac superare feras illic successibus oras.

Forte die Princeps illo sub valle remota
AVGVSTVS virides carpens per prata napæas
Ibat ouans, gressumque canes comitantur herilem.
Hunc vbi secreta Rubo sub valle morantem,
Lætatumque animo, syluas frondesque sequentem
Aspexit, lætum membrisque accepit honorem,
Talibus aggreditur dictis, ac vocibus infit.
O fate gente Ducum, captas ex hostibus vrbes
Qui reuehes nobis, æternaque mœnia condes
Fama SIGISMVNDE Arctoæ clarissima gentis,
AVGVSTI nomen referens, me fata precari
Cui voluère, tuosque afflictum dicere honores,
Et læto plausu testari gaudia summa.
Non equidem inficior prima quod origine Rubo,
Quodque a stirpe forem Moscis coniunctus auaris,
Vnde mihi genus, & nomen mihi ducitur vnde.
Sed tua me virtus, tua terris dedita fama.
Magnanimique patres, maiorumque inçlyta bellis
Gloria, & illustres terra Liuonide laudes
Parua coëgerunt tibi paruum munera ferre
Præful: meque tuis subiectum ostendere fræniss:
Dum magni proceres, & vasti numina mundi,
Heroesque tuis gaudent successibus ampli.

Sed tibi quod nostri monumentum & pignus amoris
Adfero, turba mihi natorum læta laborum
Ipsa suis neuit manibus sub flumine nostro.
Ergo tibi quoties lætis convivia mensis
Nostra struet, tonsisque feret mantilia villis
Terra, ac auratos filo splendente tapetas
Appendet folijs post, & laquearibus altis:
Hæc quoque forte tuos oculos aulae tenebunt
Parua quidem, magno tibi sed contexta labore.
Cernis ut egregios maiores, facta tuorum
Progenitorum ac magna aulae picta nitescant.
Ceum perfecta sui promissa coniugis arte
Munera cum clypeum nato tulit anxia mater
Æneæ in luco, sacrum prope Cæritis amnem.
Ille futurorum velut inclyta facta nepotum,
Hoc tibi maiorum sic monstrat facta tuorum,
Atque patrum Rigæ, quorum tibi tradita sceptrum.
Non tamen hinc omnes vestro de sanguine cretos
Aspicias Heroes, quondam Liunia nostra
Quos vidit sacris operari, & sceptrum tenere.
Nam memini excelsæ visentem mœnia Tarbæ
Magnopolitanum præclara laude IOANNEM,
Stargatiæque ducem, Rubonis sedibus imis
Hospitio admissum, meaque ultro in tecta receptum
Post connubia, post qui legitimos Hymenæos
Suscepit Tarbæ Præsul moderamina præstans:
Imperiumque suis concessit nobile natis.
Ergo AVGVSTE tibi, Princeps tibi maxime, Rubo
Gratulor, & paruo mea gaudia munere testor:
Te nostris præfectum aris: te nostra tenere
Sceptrum Ducem: Dij te seruent Clarissime Præsul:
Fortumentque tuas res, & pia fata gubernent.

Nunc mihi maiorum occurrunt monumenta tuorum
Plurima, nunc virtus, nunc magnæ gloria famæ.
Si quis in hoc Princeps externus quæritur hæres
Imperium, huc fatis tu te poscentibus adfers,
Et merito. Has sedes, hæc tanto iugura tractu
Vestra domus, vestri maiores, vestra propago,
Non equidem inuideo miror magis omnia fato
In lucem prodire caua caligine septa,
(Et nuper stulto non vnquam credita vulgo,)
Subiecit nostro imperio, sceptrisque superbis.
Forsan tempus erit fera de gente nepotum,
(Quando nostra nihil studijs his ducitur ætas)
Ut surgant: gesta hæc annalibus eruta priscis
Qui celebrent, totum & diuulgent scripta per orbem.
Tunc res Liouum, tunc inclyta facta tuorum,
Bellaque, & arma virum finus audiet vltimus orbis,
Et nomen nullo diffusum abolebitur æuo.
Pauca tamen memori quæ condita mente tenebis
Præcipienda tibi, si præcipienda videntur.
Quæ tua te virtus, tua quæ natura monebit.
Clare SIGISMUNDE AVGVSTE ô quo sospite nunquam
Res equidem Rigæ, superataque regna fatebor:
Dona Deum Musas Heliconiadesque puellas,
Et Phœbum fugientem, & nostra gente fugatum
Gradivi patris furijs, ferroque scelesto
Respice, suppliciterque tibi miserere precantum.
Respice care Deo Princeps imitère parentem
Divinum Heroa, & fama super æthera notum:
Ocia qui Roseo Musis pia fecit in horto,
Vernovius ripas quæ læto flumine stringit.
Nomen avi quæ non tellus, famamque potentis
Audijs, ac multis celebrem virtutibus auxit.

Hoc precor, æthereis committo cætera Diuis.
Si quid honos, si quid laus, si quid gloria præstant,
Præful habe, tidi honos, tibi laus, tibi gloria crescant.
Dixerat hæc Rubo, subitoque in nubila cessit
Atque Ducem medio lætum sermone reliquit.
Illi subridens roseo Dux optimus ore
Annuit, & læto suscepit munera vultu.
Sublimem inde petit donis illustribus ærcem.

DOCTISSIMO AC CLA-
RISSIMO VIRO SAPI-

entia & eloquentia præstanti

D. ANDREÆ MYLIO

Illustriissimi Principis ac Domini D. IOHAN-
NIS ALBERTI Ducis Megapolen-
sis Consiliario, Domino suo
colendo S. D.

CVM tua diversis se gloria tollat in oris,
Floreat & linguæ fama stupenda tuæ:
Et mea virgineo vereatur Musa pudore
Sola sub ignotos Principis ire lares:
Commendata tuo mea carmina pauca favore
Possè legi sacro Præfulis ore reor.
Ergo Cecropiæ fama celeberrime linguæ
Et Clarij, MYLI, gloria summa chori:
Qvem, velut armipotens Ciceronem Roma loquentem,
Balthiaco observat terra propinqua mari:
Nostra tibi si non hæc rejicienda putantur
Non bene Pierijs condita scripta modis.
Fautor vt exhibeas Heroibus illa duobus
Nostram tuam Myli Musa precatur opem.
Namque pia famam pulchram cum laude mereris,
Miraturque polus nomen vterque tuum:
Vndique quod duro spretas hoc tempore Musas
Officijs ornes, Vir memorande, tuis.
Hæc tibi fama decus parat, æternumque parabit
Si Clarij non sunt irrita vota Dei.

Sic fatus antiqvo Mæcenas sanguine Regum
 Immortale sacro carmine nomen habet.
 Si qua videbuntur nostræ minus apta Camenæ,
 Nec satis in teneros molliter acta pedes:
 Non res illa meos premat invidiosa labores,
 Nam veniam pars hæc, quam mereatur, habet.
 Prius ego, mentem magno concussus amore,
 Facta cano patriæ non memorata meæ.
 Ergo mihi rebus multa caliginis septis
 Cura satis lucem reddere magna fuit.
 Quam bene iam trito fragilis rota vertitur axe?
 Quam labor est notam parvus inire viam?
 Facta sed haud vllj vatium cantata priorum
 Lucida Pegaseis reddere velle modis:
 Hoc opus, hic multo labor est sudore molestus,
 Hæc patet in curas area lata graues.
 Dura sub argenti quamuis Liuonia cœlo
 Præclara multos viderit arte viros:
 Nemo tamen, quando traheret sua quemque voluptas,
 Historici voluit munus obire boni.
 Ergo meis veniam noxis dabis optime lector
 Materiæ venia conveniente novæ.
 At tu Mæcenas studiorum maxime Myli
 Nostra tuo præsens scripta favore iuva.
 Sic tibi Nestoreos degenti molliter annos
 Pro meritis faueant fata benigna tuis.

FINIS.

ΕΠΙΜΕΤΡΟΝ.

Ne spatium vacuum relinqvatur, SERIEM PRIMORVM LIVONIÆ EPISCOPORVM ET ARCHIEPISCOPORVM, in Livoniæ arce Ronneburga, vetustis & vivis imaginibus expressorum, additis Epigrammatibus olim extantium e Dav. Chytræi Chronico, breviter subjungam. G. B.

MEINARDVS LIVONIÆ EPISCOPVS PRIMVS.

Christum Liuonibus Meinardus prædicat Anno
Milleno, centeno, nongeno quoque quarto
Templum Kerkholmum, medio Rubonis in amne
Extruit, Vxeliæ, Dalenque ad littora condit.

Ejus sepulchro inscriptum Rigæ.

Hac sunt in fossa Meinardi præfulis ossa,
Nobis primo fidem dedit annis quatuor idem
Actis millenis, centenis nonaquegenis
Annis cum senis hic ab his it ad æthera pœnis.

BARTHOLDVS ABBAS LOKANVS Ordinis Cisterciensium.

Bartholdus Rigam cingebat mœnibus vrbem,
Dum molitur opus, Livo glomerante caterua
Arma parat, bellumque facit, concisus ab hoste
Exanimis præful, fulua prostratur arena.

ALBERTVS CANONICVS BREMENSIS.

Vindicat Albertus clades felicibus armis,
Arcem Dunmondam, disponit ad ostia Dunæ.
Ensiferos vocat ad communia prælia fratres.

Henricus Cæsar, titulis & sede beavit
Imperij proceres inter, sacrosque dynastas.

NICOLAUS CANONICVS
RIGENSIS.

Præfide Nicoleo, rursus noua bella parantes
Liunionij, oppugnant crescentis mœnia Rigæ.
At victi pacem poscunt, dominosque fatentur.
Gens quoque Curetum Christi tunc sacra recepit.

ALBERTVS I. AR-
CHIEP. Rigen.

Pontificis dono summi, Latijque Senatus
Albertus præfulget hic Archiepiscopus omnes:
Hunc caput agnoscunt septem Liionide terra
Mitrati patres, rogat hinc sua iura magister.
Ius cadit & dominum nobis tibi Brema creandi.

IOANNES a LVNEN II.
ARCHIEPISCOPVS .

Excipit illustres titulos, sedemque Ioannes.
Templa, sacrasque viris deuotis fabricat ædes,
Præscribit genti leges, moresque feroci,
Fertur Romburgi fundamina prima locasse.

IOANNES a VECHTEN.

Ah dolor aduersum venturos omen in annos
Intestina parant distracti bella Ioannes
Armipotensque ordo: vicinæ ad fœdera gentes
Sollicitantur: adest Vithines Lithuanus Heros,
Pontifici auxilium præstat, funditque magistrum.

IOANNES COMES
SVERINI.

Ioannes comes ex prælustri gente Suerina
Appetitur bellis Marianis, victus ad urbem
Romanam supplex abijt, diuosque precatur
Vltores, illa moriens nunc vrbe quiescit.

ISAVRVS,

Pascit oves Christi mox archipræful Isaurus,
Temperat aduersas iras, & fœdere iungit
Vicinos, adit hinc Danos, vbi Londia sedes
Præfulis alta micat, sacris dignantur habenis.

FRIDERICVS LIBER BARO

EX BOHEMIA.

Fridericus clara prognatus gente Boëma
Ter denos absens feliciter imperat annos
Atque nouem, terra nunquam Liouide visus,
Pontifici comes est semper, post fata recondit
Gallia relliquias, venerans Auione sepulchro.

ENGELBERTVS a DALEN.

Engelbertus erat Derbati præful, & inde
Accitus Rigam summas moderatur habenas
Oscula pontifici summo fert pronus ad aras,
Raptus & e terris Auione quiescit humatus.

VROMHOLDVS a VIFFHVSSEN.

Postquam Vromholdo custodia credita templi,
Ecce vbi Riga iacet, mox Duna tumescit ab vndis:
Præcipites trahit illa domos, hominumque catervas,
Præsentemque vrbi cladem vis fluminis affert.

SIPHERDVS a BLVMBERG.

Traditur vt rerum Sipherdo summa potestas,
Ordo potens bellis, & vivens ordine nullo,
Curetes & Semgallos victricibus armis,
Multaque præterea manibus rapiēbat avaris.

IOANNES a SYNTEN.

Attollunt animos lætis successibus aucti
Teutonici fratres, deturbant sede Ioannem
Cum focijs, soli terram ditione prementes,
Ille means Romam, peregris cadit exul in oris.

IOANNES VVALLENRODER

Wallenrodera Francus de gente Ioannes,
Tempore quo lentis fuit Huffus in ignibus vftus,
Conciliumque ingens cogit Constantia, patres
Cardineosque inter fedemque locumque tenebat.
Indeque Liuonios nunquam remeavit ad agros.

IOANNES HABVNDI.

Rigenfis capit hinc populi moderamen Habunbus,
Pacis amans, facri luftrat myfteria verbi.
Pestiferum vidit, multis morientibus annum,
Hos inter luctus, & funera mœfta fuorum
Correptus morbo, mortales exiit artus.

HENNINGVS SCARPENBERG.

Fœderis Henningus confirmat iure magiftro,
Condit Lemfaliam, Pebuvaldam, turreque ditat
Romburgum, quæ nunc reliquas supereminet omnes
Afra petens, Rigæ compofitus pace quiefcit.

SYLVESTER.

Arce Cochenhufia capitur Syluefter, iniquam
Carceris experiens fortem, calcante magiftro
Pocula lethiferis propinat mifta venenis,
Liunionæ annales dedit ignibus ordo repertas.

STEPHANVS GRVBEN.

Immerfit Stephanum casu fortuna lugubri
Velatis oculis, & fpinæ impofitus equinæ,
Atque manu caudam prendens extruditur vrbe,
Concidit indulgens lachrymis, fractusque dolore.

MICHAEL HILDEBRAND.

Bellipotens en Plettenbergius atque Michael
Coniuncti, Moschos felici Marte retundunt,
Auspicijsque fuis præfcribunt fœdera pacis:
Egregiam ftatuunt laudem, famamque perennem.

CASPARVS LINDE.

Aurea Caspari sunt tempora nescia belli:
Nam parto gaudebat Liuona terra triumpho.
Affociant animo, fraternaqve iura colentes,
Grata Deo meritæ solvunt præconia laudis.

IOANNES BLANKENFELD.

Pristina detrectant Rigenses iura Ioanni,
Diuisi diuersa probant oriente Luthero.
Eijciunt claustris monachos, ritusqve nouarunt.
Hispanias præful qverulus discedit ad oras.
Terqvomadæ moriens, causam vitamqve reliquit.

THOMAS SCHONING.

dem Schoningo ciues parere recusant.
Omnis egenus opis, nunc his, nunc supplicat illis,
Et tandem socium sedis, regniqve recepit,
Marchiaca natum prælustri gente dynastam.

WILELMVS MARCHIO BRAND. &c.

Brandenburgiacæ domus hic generosa propago
Marchio Wilelmus, premeret cum cana senectus.
Ordinis ensiferi stimulis agitatus acerbis.
Impetitur bello: mox captiuatur ab hoste
Mille & quingentos sex quinquagintaqve Phœbus
A nato Christo cursu compleuerat annos.
Extitit ille dies & fons, & origo malorum,
Terris dira minans fulgore cometa coruscat.
Indignam doluit vicina Polonia sortem
Principis agnati, iustisqve accingitur armis.
Integra Wilhelmo redeunt sic iura priora:
Patrono moriens tradit sua iura Polono.
Moschica Liuonides victricia signa perosi,
Fœdera Lithuanis iungebant legibus æquis.
